DE PROTECTORIBUS

ET

DOMESTICIS AUGUSTORUM

THESIM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Camille JULLIAN

GALLICÆ IN URBE SCHOLÆ SOCIUS
SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARISIIS
APUD ERNEST THORIN EDITOREM
7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXIII

DE PROTECTORIBUS

ET

DOMESTICIS AUGUSTORUM

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

DE PROTECTORIBUS

ET

DOMESTICIS AUGUSTORUM

THESIM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Camille JULLIAN

GALLICÆ IN URBE SCHOLÆ SOCIUS

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARISIIS

APUD ERNEST THORIN EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXIII

De custodibus imperatorum romanorum, quos quum protectores tum domesticos vocabant, quique, tempore labantis imperii, in exercitibus primum locum obtinebant, nullus nostra ætate aut sæculis nostro proximis scripsit, præter Jacobum Godefroy : qui ad titulum Codicis theodosiani De protectoribus et domesticis (1), *multa cum miranda doctrina et solito acumine dixit. At, quum leges modo explanari curaverit, de protectorum historia, de eorum dignitate, de loco quem in militiæ cursu tenebant, de armis, de vestibus quibus induebantur, tacuit; plurimas quoque inscriptiones aut neglexit, aut non cognovit, ad codicis leges confirmandas mire utiles. Non igitur otiosum fuisse mihi credere liceat, de protectoribus novas etiam post nostrum Godefroy indagines inire.*

Hoc argumentum mihi olim in seminario, cui anno 1880 *in Schola normali superiore præfuit Parisiis, vir clarissimus DESJARDINS suasit ut tractarem. Cui hunc libellum dedicando, jucundo admodum officio erga magistrum discipulus fungor; hoc testimonium reverentissimi gratissimique animi accipere velit.*

Camille JULLIAN.

(1) *C. th.*, 6, 24.

Januario 1883.

INDEX

DE

PROTECTORIBUS ET DOMESTICIS

AUGUSTORUM

Non recte dicuntur *prætoriani milites*, imperatorum fuisse custodes. Cohortes enim prætoriæ ab illa cohorte oriuntur quam Scipio Africanus prior instituit, quæ a duce in bello non discederet (1); post philippense prœlium auctæ, stabant, honoris et tutelæ causa, circa supremos populi romani magistratus, reipublicæ constituendæ triumviros (2); neque, principatus tempore, nomen militiæ naturaque immutata sunt (3), quum publicis, non privatis principum muneribus vacarent prætorii, reipublicæ, non augusto servirent. Custodiebant simul urbem imperii romani caput et cæsarem, principem civium patremque patriæ (4). Narratur Tiberius, ut primum Au-

(1) *Festus*, p. 223, ed. Mueller : *Prætoria cohors est dicta, quod a prætore non discedebat. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent, et certo munere militiæ vacarent et sesquiplex stipendium acciperent.* Mommsen, *Hermes*, 1879, p. 26, Scipionem Æmilianum, Frœhlich, *Die Gardetruppen der römischen Republik* (1882, in-4), p. 37, priorem Africanum rectius cogitat.

(2) Appianus, *De bel. civ.*, 5, 3.

(3) Mommsen, *Hermes*, 1879, p. 30.

(4) Tacitus, *Annales*, 4, 5.

gustum mortem obisse rescivit, prætoriis cohortibus signum dedisse (1), et, quum non multo post a senatu peteret ut securitati ipsius patres, custodibus datis, consulerent, irridentibus nonnullis dixisse « non suos, sed reipublicæ esse prætorianos milites (2). »

Deligebantur cohortes inter Italos (3), deinde et inter Norici, Macedoniæ Hispaniæque cives romanos (4), quorum illud privilegium erat, Romæ in prætorio principis militare. Inde a Septimii Severi principatu, a fortissimo quoque legionum supplebantur (5), neque eo minus lecta manus numerus prætorianorum habebatur, et tanquam exercituum populi romani flos eximius.

Ex illa re cohortes nullo unquam privato officio circa augustos functas esse colligi potest, quod primo jam ætatis imperatoriæ sæculo, publica præfecti prætorio munera administrabant; quumque a Constantino sublatæ fuerunt cohortes, horum munerum gratia ideo præfectura prætorii permansit, quia illi in imperio summa rerum commissa erat (6).

(1) Tacitus, *Annales*, 1, 7.

(2) Cassius Dio, 57, 2 : Οἱ στρατιῶται οὐκ ἐμοὶ, ἀλλὰ δημόσιοί εἰσιν.

(3) Tacitus, *Annales*, 4, 5; *Edictum Claudii*, *C. i. l.*, V, 5050. Adde commentarium Mommsen ad edictum, *Hermes*, 1869, p. 117.

(4) Cassius Dio, 74, 2; cf. Mommsen, *loco citato*.

(5) Cassius Dio, 74, 2 : Ἐκ δὲ δὴ τῶν στρατοπέδων ὁμοίως πάντων τὸ ἀεὶ ἐνδεὲς ὂν ἀντικαθίστασθαι τάξας, etc. Quod tituli et laterculi prætorianorum confirmant. Cf. Henzen, *Bulletino della commissione archeologica municipale*, 1874, p. 62; Bohn, *Ueber die Heimath der Prät* (1883, Berlin), p. 17.

(6) *Codex theodosianus*, 12, 1, 117.

I

QUO TEMPORE DOMESTICI ET PROTECTORES PRIMUM APPARUERINT

Una cum prætoriis cohortibus, quas, ut diximus, imperatores non creaverunt, alter Romæ numerus stabat, quem nondum princeps Octavianus ad custodiam sui constituit. Vascones enim, dum adhuc cum Antonio orbis romani regimen partiebatur, custodiæ lateris sui præposuit (1) : quorum in locum, post Antonium debellatum dimissorum, barbarorum rhenanorum turma successit. Namque Cassius Dio historicus cohortibus prætoriis urbanisque postponit equitum manum, quam inter validissimos Batavorum delectam fuisse dicit (2) ; quum autem istos custodes semper *Germanos* esse appellatos constet, ab Augusto credendum est, remotis post varianam cladem

(1) Suetonius, *V. Aug.*, 49 : *Dimissa Calaguritanorum manu, quam usque ad devictum Antonium... circa se habuerat.*

(2) Cassius Dio, 55, 24 : Ξένοι τε ἱππεῖς ἐπίλεκτοι, οἷς τὸ τῶν Βαταούων ἀπὸ τῆς Βαταούας τῆς ἐν τῷ Ῥήνῳ νήσου ὄνομα, ὅτι δὴ κράτιστοι ἱππεύειν εἰσὶ, κεῖται.

Germanis (1), Batavos tantum conservatos. Primo Tiberii principatus anno, de Germanis sermo rursus est, *qui tum custodes imperatori aderant* (2) : eorum historiam sub Gaio, qui numerum supplevit (3), subque cœteris principibus facillime reperias, donec, Galba imperante, dissoluti abeant (4).

Principem custodire, protegere, una Germanorum functio erat, et ita se fideles (5) præstiterunt ut, occiso Gaio, conjuratos cædis fugientes persequerentur, obvium quemque trucidantes (6). Serviebant augustis ut domestici : eo militum genere etiam imperatorum domus utebatur, Germani in hereditate inter alia transmittebantur. Sic custodes qui Germanico adsidebant (7), filiis ejus fratrique Claudio (8), pars etiam Tiberio cæsari (9) obvenerunt : quum Claudius regnum accepit, sua Gaiique turma in unum coiverunt. Etiam matri nonnullos custodes

(1) Suetonius, V. *Aug.*, 49 : *Dimissa... manu... Germanorum quam usque ad cladem varianam inter armigeros circa se habuerat.*

(2) Tacitus, *Annales*, 1, 24 : *Additur magna pars prætoriani equitis et robora Germanorum, qui tum*, etc.

(3) Suetonius, V. *Gaii*, 43; cf. 45 et 47.

(4) Suet., V. *Galbæ*, 12 : *Germanorum cohortem a cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam dissolvit, multisque experimentis fidelissimam, ac sine ullo commodo remisit in patriam.*

(5) Suetonius, V. *Galbæ*, 12.

(6) Josephus, *Antiq. jud.*, 19, 1, 15.

(7) Gruter, 602, 8 = *C. i. l.*, VI, 4338 : *Bassus Ti. Germanici germanus.*

(8) Muratori, 922, 35 = *C. i. l.*, VI, 4334 : *Felix Ti. Claudii Germanici eques.*

(9) Gruter, 602, 11 = *C. i. l.*, VI, 4339 : *Marco germaniciano Ti. Cæsaris germano.*

germanos donavisse Nero videtur (1). Res enim imperatorum barbari illi erant, familiæ annumerabantur, quippe qui, in bello devicti, captivi iidem et servi facti essent. In titulis, eorum nomen principis nomini, casu genitivo posito, antecedit : qui casus non propter « custodis corporis » quod sequitur verbum, ibi est. In collegium quoque conveniebant (2), eorumque magister et princeps, tempore Gaii, gladiaturam exercuerat (3).

A Galba dissolutus, non multo post aut a Trajano aut, magis crediderim, a Flaviis, numerus custodum restituitur, auctus et novum nomen indutus (4). Quod nomen (*equites singulares* appellantur) naturam ejus melius indicat quam quo prius vocabantur : nam *singularis miles* ille dicitur, qui miles unius hominis est, *singularis consularis*, qui legato legionis servit, legati quodammodo a jussis, eique proprie addictus (5).

Nonnullos inter singulares equites civitatem romanam adeptos nondum satis probatum est; plerosque

(1) Suetonius, *V. Neronis*, 34 : *Mox et honore omni et potestate* (matrem) *privavit; abductaque militum et Germanorum statione, contubernio quoque et palatio expulit;* Tacitus, *Ann.*, 13, 18.

(2) *Corp. insc. lat.*, VI, 8802, 8805 et s. : *Ex coll. Germ.*

(3) Josephus, *Antiq. jud.*, 19, 1, 15 : Προεστήκει δὲ αὐτῶν Σαβῖνος, χιλιαρχῶν, οὐ δι' ἀρετὴν καὶ γενναιότητα προγόνων, μονομάχος γὰρ ἦν.

(4) Lege commentarium Henzen, *Sugli equiti singolari degl' imperatori romani* (*Annali dell' Instituto di corrispondenza archeologica*, 1850), et Mommsen, *Schweizer Nachstudien* (*Hermes*, t. XVI, 1881), p. 458. Semper Germani quoque equites singulares nominantur, Herodianus, 4, 13, 6; Julius Capitolinus, *V. Max. et Balb.*, 13; cf. p. 9.

(5) *C. i. l.*, III, 1195. Dedit laterculum singularium legionum Cauer, *Ephemeris epigraphica*, IV, p. 401 et s.

contra perquam patet neque ut custodes corporis servorum neque peregrinorum conditione, sed latino jure usos esse; imo nondum accepta honesta missione, qua iis civitas confertur, gentilitium et prænomen imperatoris usurpant, quo regnante aut alis singularium aut alis auxiliarium equitum inscripti fuerunt (1).

Præfectine prætorio sub dispositione fuerunt equites singulares? In titulo, severiana ætate inciso, præfecti prætorio tribunis singularium præponuntur (2): inde recte quidem concludas in minore tribunos honore fuisse quam præfectos; illos vero sub eorum imperio stetisse, non recte (3). Quod si equites singulares titulum alterum Severo Antoninoque augustis, Plautiano præfecto suisque dedicaverunt tribunis (4), quid mirum, quum Plautianus in titulis fere semper principibus æquiparetur? Tribunis duobus, inde a Septimii regno, obediunt singulares, quum antea una tantum ala, unus tribunus fuerit (5).

Quo tempore singulares sublati fuerint, propter titulorum inopiam et scriptorum silentium, non dici potest. Vir clarissimus et doctissimus Henzen usque in Constantini regnum numeri finem protrahit (6),

(1) Diploma a. 230, Renier, *Diplômes militaires*, 8, I, p. 27. Cf. titulos passim in *C. i. l.*, VI, p. 3191 et s.

(2) Muratori, 351, 1: *Marcio Læto et Æmilio Papiniano, pp. pp., Octavio Pisone et Valerio Herculano, tribb. equit. sing.*

(3) Cf., contra, Henzen, p. 35.

(4) Orelli, 3413.

(5) Diploma a. 230; cf. Henzen, p. 35.

(6) P. 52.

quum contra sub Diocletiano nullas jam singularium alas exstitisse, et multo ante Carini mortem dissolutas esse credas necesse sit. Nulla in titulis altera tertii sæculi parte inscriptis de singularibus mentio est. At in quibusdam equites invenias Julios nomine vocatos, qui aut sub C. Julio Maximino aut sub M. Julio Philippo militaverunt (1) : quum vero isti Julii plerumque C. Julii nominentur, vel simpliciter Julii, omnes inter Maximini custodes referam. Adhibet Henzen titulum, e quo colligendum est adhuc circa C. Vibium Trebonianum Gallum augustum singulares stetisse; qui titulus ita est :

D. M. Vibio. Severino. ex. equite
singulari qui vixit ann. L
Vibius Ursinus fratri suo
carissimo. aug. c (2).

Quum Severini frater, Vibius Ursinus, augusti libertus sit, tantummodo de imperatore Gallo, ex gente Vibia orto, res agitur. Mihi autem minime genuina inscriptio videtur, quod Henzen et ipse nuper fatebatur (3); neque ultima linea certe legitur; hæc verba « augusti libertus » insolenter « fratri carissimo » postponuntur. Gallus augustus tres annos modo regnavit : Severinus autem, quum imperatoris Galli nomen sumpserit, eo regnante militiam singularium inivit, eodemque adhuc principe, honestam

(1) *C. i. l.*, VI, 3269, 3271, 3272; Muratori, 824, 4.
(2) P. 51.
(3) In epistola d. VII maii 1881, ad v. c. Geffroy scripta.

missionem accepit (augusti libertum se frater Severini dicit), ita ut custos corporis inter septimum et quadragesimum, et quinquagesimum vitæ suæ annum fuerit. At singulares multo juniores sunt: plerique viginti aut triginta annos nati, multi etiam ante vicesimum annum recipiuntur in scholam (1).

Constat igitur ultimos titulos sine dubio equitibus singularibus referendos sub Maximino augusto inscriptos esse.

Quo tempore silent de singularibus tituli, novum corporis custodum genus apparet : de *protectoribus* loquor. Prima de protectoribus mentio in prætorianorum laterculo, a. 227 inciso (2), non est, nisi v. c. Mommsen *Juliani pr(otectoris)* scribenti assentiaris. Litteræ *pr.* quodvis aliud significant, quam *protector* (3), quod verbum, tertio sæculo, *prot.* aut *protect.* litteris repræsentatur in titulis (4). At dicit Julius Capitolinus, inter Historiæ augustorum scriptores unus, Gordianum, a. 237, circa se, dum Carthaginem ingrederetur, protectores habuisse (5). Sui Caracallæ protectores erant si Spartiano credamus (6). Scripto-

(1) *C. i. l.*, VI, 3218, 3223, 3230, 3240.

(2) *C. i. l.*, VI, 2799, 12 : 7 IVLIANI PR.

(3) Cf. *C. i. l.*, VI, 2415. Nuper Mommsen in collegio Berolini a. 1882 privatissime habito, sententiam recte mutavit.

(4) Quam inscriptionem de *domesticorum comite* loquentem profert Lenain de Tillemont, *Histoire des empereurs*, III, p. 292 (Orelli, 1001), ligorianam esse dubitari non potest.

(5) *V. Maxim.*, 14 : *Inde Carthaginem venit cum pompa regali et protectoribus et fascibus laureatis.*

(6) V. *Ant. Carac.*, 5 et 6.

res autem Historiæ augustæ plerumque iis verbis utuntur, quæ sua ipsorum ætas adhibebat : protectores appellantur apud eos qui revera equites singulares erant. Cæterum Cassius Dio et Herodianus, fidissimi atque fidelissimi inter historicos, et Severorum contemporanei, de Scythis (1), de Germanis (2), de barbaris custodibus sæpissime loquuntur, de protectoribus nunquam.

Primum *protector* in arretino titulo, T. Petronio Volusiano, consuli præfectoque prætorio, a. 261 dedicato, legitur (3). Petronius priusquam præfecturam vigilum induit, *tribunus cohortis primæ prætoriæ*, *protector augustorum*, *fuit*.

Eadem protectoria dignitate indutus est, Carini ætate (ea quidem nostra opinio est), *tribunus* quidam *cohortis sextæ prætoriæ*, qui simul et *protectorum augustorum* nominatur (4).

Neque donabatur modo prætoriarum cohortium

(1) Cassius Dio, 78, 5 : Ὑπό τινος τῶν Σκυθῶν τῶν σὺν Ἀντωνίνῳ ὄντων καθηκοντίσθη.

(2) Herodianus, 4, 13, 6 : Γερμανοὶ .. ἱππεῖς, οἷς ὁ Ἀντωνῖνος ἔχαιρε φρουροῖς τε τοῦ σώματος ἐχρῆτο; cf. p. 5, n. 4.

(3) Wilmanns, 1639 : *Trib. coh. primæ præt. protect. augg. nn.* De Gallieno et Valeriano agitur : atqui Valerianus augustum filium a. 254 creavit, post a. 262 obiit. Cf. Perrot, *Exploration archéologique de la Galatie*, I, p. 7; Henzen, *Bulletino dell' Instituto*, 1863, p. 123. Uterque cum Gruter, 1028, 2 : *Præf. protect.* legit. Vera lectio a Gori, *Mus. etr.*, II, p. 189, 1, restituta fuit.

(4) *C. i. l.*, III, 3126 : *Trib. coh. VI præt. et protector. auggg. nnn.* Mortuus est Carus inter d. XXV m. dec. a. 283 et d. XII m. jan. 284; nonnullos ante menses, augusti Carinus et Numerianus facti erant. Cf. Cohen, V, p. 333 et præsertim De la Bastie, *Académie des inscriptions, mémoires*, t. XIII (ant. series), p. 460.

tribunis : nam, certe ante Constantinum vivens, fuit simul Aurelius Mucianus *protector* et *eques prætorianorum* (1). Anno 267, inter *ex protectoribus* Valerius Marcellinus adscribitur, præfectus legionis, cui etiam recturam provinciæ Retiæ Gallienus commiserat (2).

Inde igitur a Gallienorum principatu, *protector* cognomen tribunis vel præfectis dabatur. At eodem tempore numerus quoque protectorum exsistebat. Titulum Jovi monitori dedicat Vitalianus quidam, protector, pro salute Gallieni imperatoris, ergo ante a. 268 (3). A. 269, Claudio imperante, in Gallia narbonensi, duce Julio Placidiano, præfecto vigilum, tendebant militum vexillationes, inter quas *protectores ducenarii* erant (4). Et protectores nullo modo cum prætoriis cohortibus conjunctos esse, inde colligimus, quod, M. Aurelius Processianus, *centurio secundæ cohortis prætoriæ*, dein *protector ducenarius* fuit (5). Sub Claudii successore, Herculano cuidam, Aureliani protectori, titulus a fratre dedicatur, ipso et augusti protectore (6). Probo regnante, de quodam ex protectoribus mentio est (7) ; eademque fere ætate Dio-

(1) *C. i. l.*, VI, 2773.

(2) *C. i. l.*, III, 3424 : *Præf. leg. prot. aug. n.*

(3) *C. i. l.*, III, 3228 : *V]italianus [pro]tect[or] aug. n.* Titulum propter memoratos exercitus germanicos et britannicos a. 256 positum esse mihi indicat B. Pick, doct. phil.

(4) *Bull. épigraphique de la Gaule*, I, p. 4; *Bull. dell' Instituto*, 1880, p. 105.

(5) Gruter, 530, 9, titulus mutinensis : *D. M.*, *M. aur. Processiano*, *v. e.*, *ex cent. præt. cohort. VI*, *[ex] prot. ducenario.*

(6) Perrot, *Exploration*, I, p. 8 = *C. i. l.*, III, 327.

(7) *C. i. l.*, III, 1805 : *M. Aur. Valerius*, *v. p.*, *ducen[ari]us*, *ex protectoribus lateri[s] divini..*, *Messala et Grato coss* (280).

cletianus ut *comes domesticorum* custodes imperatoris regebat (1), quam dignitatem imperatoria mutavit.

Ergo protectorum numerum ante annum 268 institutum fuisse necesse est credamus. Equites singulares vidimus non multo post annum 238, quo Maximinus fuit occisus, esse sublatos. Atqui ea ipsa tempestate, qua Gordianus aut Gallienus regnabant, rem militarem, præsertim quod ad imperatorum custodiam attinebat, omnino mutatam fuisse chronographi byzantini tradunt.

Narrat Chronicon paschale (quæ pars chronici sub Constantio scripta fuit) (2) Gordianum pium augustum *scholas candidatorum* palatinas, quod erat militum ostensionalium genus, auxisse, idque iisdem fere verbis dicit Cedrenus (3). Idem refert Cedrenus (qui, etsi vilissimus scriptor et historiæ romanæ admodum ignarus, de origine multorum institutorum plura tamen vera et utilia tradidit), sub imperatore Juniore, id est Gordiano pio, creatos fuisse protecto-

(1) *Diocletianus, domesticos regens*, Aur. Victor, *De Cæs.*, 39; Vopiscus, *V. Numeriani*, 13 : *Diocletianum... domesticos tum regentem*; Zonar., 12, 31 : Ἄλλοι κόμητα δομεστίκων αὐτὸν γενέσθαι φασί. Alium *præf(ectum) leg(ionis), ex prot(ectoribus)* memorat titulus budensis a. 287 dedicatus, *Eph. ep.*, II, 678.

(2) In ed. bonnensi, II, p. 16.

(3) *Chr. pasch.*, I, p. 501 : Ἐποίησεν ἀριθμὸν τῶν λεγομένων κανδιδάτων. Quos candidatos cave ne confundas cum protectoribus; id plerique commentatores peccant. Scholas auxit, non creavit Gordianus, quum jam sub Severo Alexandro de militibus *quos ostensionales vocant* sermo sit, Lampridius, *V. Alex.*, 33. De candidatis vide *Chron. pasch.*, I, p. 502; *Not. occ.*, p. 42; *orientis*, pp. 37, 38, ed. Bœcking; Hieronymum, *Epist.*, 60, 9, II, p. 594, ed. Migne; Corippum, *De laud. Just. min.*, 3, 163, etc.

rum numeros (1). Quod equidem minime credendum erat, nisi confirmasset rem series titulorum singularium et protectorum, atque ipsa etiam historia Gordiani imperatoris (2).

Anno 237, imperantibus Pupieno et Balbino, Romam prætoriæ cohortes ferro et igni vastaverunt (3). Anno sequenti, augusti majorem germanorum militum partem, quos in auxilium sui contra Maximinum acciverant (4), in suburbanas (5) aut etiam in urbanas (6) sedes collocaverunt, quibus adversus insolentiam prætorianorum niterentur. Inde maxima in prætorio cura : fore ut cohortium in locum Germani succederent, rursus ipsæ veluti olim a Septimo Severo dissolverentur; quod fieri se non passuras (7). Arma capta, trucidati augusti, Gordianus cæsar factus imperator (8). Qui quidem consilium non abjecisse prætorianis nocendi videtur (9). Quum neque Germani

(1) I, p. 451.

(2) I, p. 451 : Μετὰ δὲ τοῦτον (Pupienum aug.) ἐβασίλευσεν Ἰουνίωρ μῆνας τρεῖς ὃς πρῶτος ἐποίησε κανδιδάτους καὶ πρωτίκτωρας.

(3) Herodianus, 7, 12, 7.

(4) Herod., 8, 8, 5-7.

(5) Julius Capitolinus, V. *Max. et Balb.*, 14 : *Extra urbem, ubi suos habebant.*

(6) Herod., 8, 8, 2 : Παρόντες τῷ Μαξίμῳ ἔν τε τῃ Ῥώμῃ διατρίβοντες.

(7) Herod., 8, 7, 8 : Ἐπανῆλθον δὲ καὶ οἱ ἀπὸ Γερμανίας ἐληλυθότες σύμμαχοι · ἐθάρσει γὰρ αὐτῶν τῇ εὐνοίᾳ (Pupienus) ἅτε καὶ τοῦ ἔθνους ἐπιεικῶς πρότερον ἄρξας, ὅτε ἰδιώτευεν; 8, 8, 2 : Ἀντιπάλους γὰρ ἕξειν ἤλπιζον εἴ τι τολμῷεν, καὶ ἐφεδρεύειν αὐτοῖς ὑπώπτευον, εἴτινι δόλῳ ἀποζωσθεῖεν, ἐκεῖνοι δὲ ἅτε παρόντες ῥᾳδίως ὑποκατασταῖεν, τό τε Σεουήρου ὑπόδειγμα, ὃς τοὺς Περτίνακα ἀποκτείναντας ἀπέζωσεν, εἰσῄει αὐτούς. Cf. Jul. Capit., V. *Max. et Balb.*, 13 et 14.

(8) Herod., Jul. Capit.

(9) V. *Gordianorum*, 24, 2 et 3; 25, 2.

a Pupieno acciti neque equites singulares ad tuendum imperatorem contra impotentiam prætoriarum cohortium satis valerent, novum custodum corporis genus excogitavit. Ergo opinor protectorum numerum non e prætorianis ortum, sed eorum odio a Gallieno, singularibus sublatis, institutum esse.

II

QUÆ NOMINA PROTECTORIBUS ET DOMESTICIS IMPONERENTUR.

Quæ nomina novis corporis custodibus imposita fuerint, propter titulos, leges, scriptores, parum inter se congruentes haud facile discernas. In inscriptionibus quas attulimus, de *protectoribus* modo sermo est; at, anno 284, apud Vopiscum *domestici* quoque memorantur; et in Codicis theodosiani titulo *de protectoribus et domesticis* inscripto (1) utroque nomine indiscrete, ut videtur, imperatores utuntur. Verumtamen, neque non recte Panciroli italicus (2), et inter franco-gallos antecessores eminentissimus Jac. Godefroy (3), domesticos e protectoribus secernunt; at quæ sit inter utrumque numerum similitudo, quærere non curant. Audacior, et merito, Bœcking (4),

(1) 6, 24.

(2) Ed. a. 1623, Genevæ, f°, *pars orientis*, p. 136. c. 2.

(3) Ed. a. 1737, II, p. 130, *paratitlon.*

(4) *Not. occ.*, p. 397.

cui si credas, *protector* vocabulum « latius se extendebat, cum omnes quoque protectores comprehenderet, neque vero omnes domestici inter protectores fuerint. » Res autem nobis fuisse ita videtur :

I. *Domesticus* et *protector* vocabula non idem significant, sed ad diversos militiæ gradus pertinent. At in plerisque legibus utroque verbo simul imperatores utuntur, quasi eadem dignitas duplici modo appelletur (1). Quædam autem leges ad domesticos modo spectant, aliæ quædam ad protectores. Addo etiam, quum idem de utroque numero ab imperatoribus jubeatur, duas simul leges ferri, priorem ad domesticos, alteram ad protectores rescriptam. Anno 393, e domesticorum corpore segregat Theodosius quosdam officiales qui in hoc irrepserunt : quod præceptum « erga protectores quoque valere » anno 395 filii Theodosii declarant (2). Decernunt a. 416 clarissimatum primoribus domesticorum imperatores; quem eodem anno et protectoribus conferunt, sed nova lege, novis verbis scripta (3).

II. Majore dignitate domestici quam protectores fruebantur : huic illud corpus antecedebat. Domesticos fateor in legibus protectoribus modo anteponi,

(1) *Domesticus* AUT *protector*, 8, 7, 4 (386); *protectores* AUT *domesticos*, 12, 1, 8 (382); *protectorum* VEL *domesticorum*, 7, 4, 27 (416); *domesticorum* SEU *protectorum*, 12, 1, 38 (346); *ex protectoribus* AUT *ex domesticis*, 7, 21, 3 (381); *ex protectoribus* VEL *ex domesticis*, 12, 1, 153 (397); *de domesticis* ET *protectoribus*, 6, 24, titulus; *domestici* AC *protectores*, 6, 24, 4 (387); *domestici* ATQUE *protectores*, 6, 24, 7 (414).

(2) *C. th.*, 6, 24, 5 et 6.

(3) *C. th.*, 6, 24, 8 et 9.

modo postponi (1). At in lege a. 382 lata, protectores inter domesticos et officiales palatinos, qui multo minore honore præditi erant, collocantur (2). Quædam privilegia domesticis solis tribuuntur (3). Quæ duabus legibus utrique numero conferuntur, accipiunt, ut vidimus, prius domestici. Illud etiam in legibus a. 416 latis animadvertendum est : domestici protectoribus antecellere dicuntur, quod *familiarius circa imperatores militant*, quum protectores tantummodo *militiam armatam subeant*.

III. Domestici, etsi protectoribus præeuntes, protectores quoque appellantur. Sæpissime in legibus, in titulis et apud scriptores (4) verba *protector* et *domesticus* conjunguntur : at semper in legibus et in inscriptionibus (5) legitur *protector domesticus*, solos apud scriptores (6) nonnunquam et *domesticus protector*. Neque dubitari potest, domesticos et domes-

(1) Cf. p. 15, n. 1.

(2) *C. th.*, 12, 1, 88 : *Inter palatinos habentur, seu inter protectores, aut domesticos;* cf. de palatinis paratitla Godefroy ad *C. th.*, 6, 30 et 35.

(3) *C. th.*, 6, 24, 1 (362), 2 (364).

(4) *C. th.*, 6, 24, 3 : *Protectorum domesticorum schola;* — 8, 7, 9 (366) : *Protectores domesticos;* — Ammianus, 21, 16, 20 (361); 14, 10, 2 (354); 18, 18, 11 (359); 15, 3, 10 (354) : *Protector domesticus;* — Amm., 15, 22, 5 (355) : *Protectoribus domesticis.*

(5) *Eph. epigr.*, IV, 913; Gruter, 495, 3; *C. i. l.*, V, 6226; Le Blant, *Inscriptions chrétiennes de la Gaule*, 252, 606; in subscriptione codicis cujusdam legitur : *Flavius Julianus Tryfonianus Sabinus, v. c., protector domesticus* (a. 402), ap. *Berichte der sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften*, 1851, p. 333; *Concilii carthaginiensis a.* 411 *acta*, ap. Harduin, I, 1049 : *Sebastiano, Maximiano et Petro, viris devotissimis, protectoribus domesticis.*

(6) Amm., 18, 8, 11 (359); 26, 5, 14 (364). In lege a. 389 lata, *C. th.*, 8, 5, 49, legendum est : *Cæteros domesticos, protectores, et agentes in rebus.*

ticos protectores unum et eumdem fuisse numerum. Quæ lex a. 416 clarissimatum domesticis tribuit, in alia ejusdem anni lege ut ad protectores domesticos pertinens memoratur.

IV. Inde concludo, priorem numerum *protectorum domesticorum* fuisse, posteriorem *protectorum*. Quum de domesticis et protectoribus sermo est, protector vocabulum minus late extenditur. At quum Ammianus Jovianum *protectorem* (1) vocat, verbum latius se extendit : Jovianus enim alias appellatur aut *protector domesticus* (2) aut simpliciter *domesticus* (3).

V. Vocabulo igitur « *protectores* » quum omnes imperatorum custodes, tum tantummodo in inferiore schola stantes significantur. Custodes igitur augustorum *protectores* nominantur, quum inter eos *numerus protectorum domesticorum* a *numero protectorum* secernendus sit.

Neque nomine modo et gradu inter se differebant. Opinatus est Panciroli domesticos equites, protectores pedites fuisse (4), nec intelligo cur nemo ejus sententiæ assensus sit. Domesticos enim definit Suidas *Romanorum equites, apud Romanos* οἰκειακοὺς *milites* (5). Quorumdam sententia erat, dicit Zonaras, domesticos

(1) 25, 5, 6.
(2) 21, 16, 20.
(3) 25, 5, 4.
(4) P. 136, c. 2, ed. 1623.
(5) V° Δομέστικοι · Οἱ τῶν Ῥωμαίων ἱππεῖς, οἱ κατὰ Ῥωμαίους οἰκειακοὶ στρατιῶται.

equis merere (1). At illud gravius argumentum est : jubet a. 362 Julianus « senum capitum » domesticis modo præstari (2). Capita nonnisi pabula jumentorum erant (3), quod annonæ genus accipiebant tantum equites (4). Eo magis Panciroli sequor quod ita post annum 416 immutata fuisse custodum nomina videntur (5) :

Etenim post a. 416 non jam e protectoribus protectores domestici separantur. De legibus hoc ipso anno clarissimatum decemprimis quum domesticorum, tum protectorum conferentibus, sic anno 433 Theodosius loquitur : « Domestici, decursis gradus stipendiis, sub eo sint genere senatores, ut... quibus jam ante decretum est... dignitatibus perfruantur (6) ». Omnes igitur lateris custodes non *protectores*, sed *domestici* tunc appellantur (7). In titulis græcis *domestici* multi inveniuntur (8), *protector* unus.

(1) Zonaras, 12, 31 : Δομεστίκους δέ τινες τοὺς ἱππέας νομίζουσι.

(2) *C. th.*, 6, 24, 1 : *Scias senum capitum domesticis... juxta morem debere præstari.*

(3) Amm. Marc., 22, 4, 9 : *Pabula jumentorum, quæ vulgo dictitant capita* ; cf. De Vit, v° *Capitum.*

(4) Ergo protector Aureliani protector domesticus erat, quia equo sedens repræsentatur, Perrot, I, p. 7. In epistola qua Julianus domesticorum Leontium consortio aggregat, legitur : Κουφότερα δέ ἐστιν αὕτη τῆς τῶν ἱππέων, *Ep.*, 22 : quæ autem verba Wytt et Hertlein delent.

(5) E textibus supra allatis nullus post a. 416 scriptus fuit.

(6) *C. th.*, 6, 24, 11.

(7) Cf. legem a. 433, *C. th.*, 8, 1, 17 : *Qui ad numerariorum gradum veniunt, in officio Tuæ Sedis Excelsæ quamdiu eodem funguntur officio, domesticorum militiam non affectent.*

(8) *C. i. gr.*, 8824, 9253, 9276, 9390 ; — 9449. Cf. titulos in diptychis ætate justinianea incisos, ap. Meyer, *Zwei antiken Elfenbeintafeln* (Monaci, 1879, in-4), p. 69.

Atqui, quum uterque custodum numerus idem tum nomen inducat, necesse est militiæ suæ genere distinguantur, prior *equitum*, posterior *peditum* numerus vocetur. In Notitia dignitatum, — quam igitur partem post a. 416 scriptam aut correctam ex eo colligam, — de *domesticis* modo mentionem invenimus : at inter *domesticos pedites* et *domesticos equites*, quum in occidente, tum in oriente, discernitur. Quæ nomina asservantur usque ad Justiniani (1) et gothorum regum tempora (2).

Si verum judicemus, inter annos 416 et 433 ad titulum et dignitatem domesticorum protectores omnes provecti sunt : quo genere provectionis quis nescit nihil in imperio romano labante frequentius accidisse? At notandum est, semper peditibus equites, ut olim protectoribus domesticos antecedere : quod Notitia dignitatum et duæ Codicis justiniani leges ostendunt. Harum legum priore, domesticis equitibus, altera, domesticis peditibus idem commodum defertur (3).

Nonnunquam antiquum custodum nomen protector servatur, quod sæpe apud Procopium legitur : at idem nunc ac domesticus vocabulum significat (4).

(1) *C. j.*, 2, 7, 25, 3 (519) : *Inserendos præsentalibus domesticis, unum equitum, alterum scholæ peditum.*

(2) Ergo Zosimum aut pleonasmum aut anachronismum admittere opinamur, quum dicit, ad a. 407, 5, 47 : Τῶν ἱππέων δομεστίκων.

(3) *C. just.*, 12, 17, 5 : Ἡ διάταξις τὸ προνόμιον τὸ δεδομένον τῷ σεκουνδοκερίῳ τῶν ἱππέων χαρίζεται καὶ τῷ σεκουνδοκερίῳ τῶν πεζῶν. In diptycho a. 539 vocatur Strategius Apio COM. DEVV. DOMM. : litteræ V et M ideo iteratæ sunt quod domesticorum corpus e duobus numeris constabat, *C. i. l.*, 2699.

(4) Cf. *Anecdota*, 24.

Quum cæteris legionibus, tum custodibus suis epitheta honoris causa imperatores addiderunt (quæ quidem indiscrete utrique cohorti dabantur).

Tertio sæculo custodes corporis non *protectores* absolute, sed *protectores augusti nostri* aut *augustorum nostrorum* dicuntur, seu imperatorum nomina adjiciantur, seu non (1).

Ab extremis sæculi tertii annis in augusti nominis locum longior et tumidior titulus cessit. Jam Aureliano imperante, omnia ad augustum pertinentia divina appellabantur (2) : ita custodes corporis, *protectores divini lateris* sunt (3). Qui titulus publice dabatur : nam in lege Codicis theodosiani imperator quidam protectorum sollicitudinem extollit laudibus quam « in protegendo latere nostro » præstant (4). Nonnunquam verbis *lateris divini* et *augusti nostri* vocabulum protector amplificatur (5).

Verba *lateris divini* quo genere militiæ fungerentur protectores indicant. At, more romano, opus erat ti-

(1) *Prot. aug. n.* (Gallienus), *C. i. l.*, III, 3228, 3424; *protectoris Aureliani augusti...*, *protector augusti*, *C. i. l.*, III, 327; *augg. nn.*, Wilmanns, 1639; *auggg. nnn.*, *C. i. l.*, III, 3126. *Protect(or) d(omini) n(ostri)*, Brambach, *Corp. inscr. rhen.*, 318.

(2) Vide Aureliani nomisma DEO ET DOMINO NATO AVRELIANO AVG, Cohen, p. 146, n. 170.

(3) Titulus a. 280, *C. i. l.*, III, 1805 : *Ex protectorib(us) lateri[s] divini.* Num in titulo *C. i. l.*, III, 387, legendum : *Pro[t(ector)] corp(oris)* ?

(4) *C. th.*, 6, 24, 9.

(5) Titulus ocriculanus, Orelli, 1869 : *Pro salute itus ac redictus d. n. sanctissimi.... ti aug....*, *Aurelius Faustus, prot. divini lateris aug. n.* Fortasse *Magnen]ti? Maxen]ti?*, cf. Henzen, *Bulletino*, 1861, p. 123, aut etiam Gallieni, vel cujusvis augusti *invic]ti?*

tulo, qui ad illius militiæ glorificationem tenderet. *Devotissimi* fuerunt protectores. Jam temporibus severianis, ut ait Dio Cassius, quisque se principi devotum profitebatur, qua devotione se religiosa principi necessitudine jungebat (1). Exeunte quarto sæculo, milites quoque *devotissimi* dicuntur (2) : ita ut non reipublicæ, sed imperatoribus se fideles præstare videantur debere. At titulus protectoriæ ante omnes dignitati adjungebatur (3). Etiam imperatoris Justiniani ætate, Strategius Apio, a. 539 consul, *comes domesticorum devotissimorum* vocatur (4). *Dicatissimi* verbum aliquando usurpatur (5) : at idem est ac *devotissimi* (6).

Denique, sexto sæculo, domestici *viri fortes* vocantur (7), qui titulus omnibus in exercitibus romanis militantibus tribuitur (8).

Ergo appellantur et protectores et domestici : *devotissimi protectores* (s. *protectores domestici*) *lateris divini*. Legemus igitur in titulo suburbano, ubi *Fl.*

(1) Dio Cassius, 53, 21 : Νῦν προστρεπόμενοι τὸν κρατοῦντα, λέγειν εἰώθαμεν Σοὶ καθωσιώμεθα.

(2) *C. th.*, 7, 4, 17; 7, 5, 2; 7, 8, 13; 11, 17, 3; 12, 6, 28; 16, 10, 19.

(3) Quum protectorum tum protectorum domesticorum, *C. th.*, 6, 24, 6 : *Domesticis devotissimis*; 6, 24, 8 : *Devotissimis domesticis*; 6, 24, 9 : *Devotissimos protectores; devotissimis protectoribus domesticis*; 6, 25 : *Devotissimis domesticorum scholis.*

(4) *C. i. l.*, II, 2699.

(5) *C. just.*, 2, 7, 25, 3 : *Dicatissimorum domesticorum.*

(6) *C. i. l.*, II, 4105 : *Numini majestatiq. ejus semper dicatissimus.*

(7) *C. j.*, 12, 17, 4 : *Virorum fortium præsentalium domesticorum.*

(8) Vopiscus, *V. Aurel.*, 41 : *Felices ac fortes exercitus; C. th.*, 7, 4, 17 : *Fortissimi ac devotissimi milites.*

Gaudentius V. D. P. L. D. scriptum fuit, ita : *Flavius Gaudentius, vir devotissimus protector lateris divini* (1).

Quænam verborum *domestici* et *protectoris* fuerit significatio operæ pretium est investigare. Protector est qui principem protegit, idque dicit Theodosius junior augustus (2) : nec isto vocabulo vocabulum græcum traducitur. Frustra igitur aliquis velit numeri originem tempore imperatorum Alexandrum imitantium fuisse. Cæterum, jam Antoninorum ætate, *protector præfecti prætorio* is dicebatur beneficiarius qui præfecti singularis erat (3). Adde, quod in parte imperii orientali protector græce προτήκτωρ scribebatur, usque sub Constantini Porphyrogenetæ regno (4).

Eadem domestici (5) verbi latina origo est. Hoc, cæsarum priorum ætate, usurpabant qui imperatoribus ut ab epistulis, a rationibus aderant (6), deinde omnes quicunque in palatio serviebant (7). Ut olim protectores, domesticos quarto sæculo circa se habet

(1) *Bulletino di archeologia cristiana*, IIIa ser., IV (1873), p. 32, ubi De Rossi *lateris dominici* proponit. Cf. *Acta conc. carth. a.* 411, Harduin, I, p. 1190 : *Viris devotissimis protectoribus domesticis.*

(2) *C. th.*, 6, 24, 9.

(3) *Aur. Severus, protector pr. pr., C. i. l.*, VI, 3238.

(4) *C. i. gr.*, 9449 ; Nilus, *Epistolæ*, 1, 233, 252 ; 2, 231, 324 ; *Basilicæ*, 6, 27, 1. 2 ; Procopius, *Anecdota*, 24 ; Const. Porphyr., *De cærimoniis*, 1. Raro protector in aliud verbum traducitur ; protectorem appellat Menander, *Excerpta de leg.*, p. 418, ed. Bonn., προσκεπαστής. Προσκεπαστής, a προσκέπτεσθαι, *prospicere*, protectori non recte respondet.

(5) Græce δομέστικος, quod verbum usque ad a. 1453 apud Codinum invenimus.

(6) Suetonius, *V. Aug.*, 89 ; *V. Claudii*, 9 ; *V. Othonis*, 10.

(7) Lactantius, *De mort. pers.*, 15.

præfectus prætorio (1) : domesticos habent etiam magistri officiorum (2) et militum (3), comites (4) et duces (5), cæterique provinciarum rectores (6). Etiam privatis sui erant domestici, quibus ut custodibus utebantur : Symmachus magistro militiæ domesticum suum Firmum, eumdemque veteranum, ideoque protectoriam dignitatem affectantem, commendat (7). Græce domestici protectores nonnunquam οἰκεῖοι dicuntur, *domi servientes* (8).

Appellabantur Germani olim *custodes corporis;* in eorum locum *equites singulares* successerunt; novi custodes prius *protectores*, posterius *domestici* vocati sunt. Magis atque magis milites illos unice et proprie imperatoribus serviisse nomina et tituli indicant.

(1) Basilius, *Epist.*, 117.

(2) Amm. Marc., 30, 2, 11.

(3) Amm. Marc., 15, 6, 1.

(4) Amm. Marc., 28, 6, 21; 29, 5, 7.

(5) *C. th.*, 9, 27, 3.

(6) *C. just.*, 1, 51. *Domestici* ab *officialibus* eo differebant, quod illi privato, hi publico munere circa judices fungebantur, cf. *C. th.*, 9, 27, 3. At posterius quum Romæ sub Gothis, Cassiod., *Variæ*, 5, 14; 9, 13, tum Constantinopoli sub Anastasio, *C. i. gr.*, 5187 c. 4, etiam officiales domestici vocantur.

(7) *Epist.*, 3, 67, ed. Migne.

(8) Julianus, *Epist.*, 22; Socrates, 1, 13; 3, 21; 4, 1. Suidas, v° Δομέστικος, οἰκειακός verbo utitur; cf. p. 17, n. 5.

III

QUÆ PROTECTORUM FUNCTIONES ESSENT.

Militant domestici et protectores, quemadmodum legionarii et quicunque in exercitibus romanis stipendia merentur. *Militavit*, legimus in titulo protectoris Flavii Marci (1). Eorum munus *militia* vocatur (2), nonnunquam et *militia armata* (3).

Horum præcipuum et primum ante omnia officium est *imperatorem protegere*. *Protexisse* Valerium alter titulus dicit (4). Quid sit protector verbo φυλάττει, *custodit*, definit Suidas (5). A cæteris militibus differunt protectores, quod non adversus hostes sed circa imperatores, non in castris sed intra palatium militant (6).

Videntur domestici propius augustum protegere :

(1) *C. i. l.*, III, 371.
(2) *C. th.*, 6, 24, 5; 8, 1, 17.
(3) *C. th.*, 6, 24, 9.
(4) *C. i. l.*, III, 6194.
(5) Suidas, v° Προτίκτωρ.
(6) *C. th.*, 16, 5, 42.

feruntur enim singulari modo obsequiis sacris inhærere (1), familiarius principibus servire, altius eorum in domum, « ut indicio nominis apparet (2) », penetrare. Forte in vestibulo sacri cubiculi nocte excubias agebant. A protectoribus alios milites secernit Maternus, ætatis constantinianæ scriptor, qui « proprio excubitu salutem principibus servant (3) ». Cicero excubias e custodiis distinguit (4) : fieri potest ut hoc protectorum, illud domesticorum munus fuerit.

Domestici, utpote equites, in illis cærimoniis imperatorem stipabant, quibus equo vectus intererat : stabant quoque circa eum dum venabatur, legiones recognoscebat, in prœlio dimicabat. In matritensi clypeo ubi Theodosius decennalia sua celebrare fingitur, quatuor protectores domestici protectoresve Honorio et Arcadio adstant (5).

Neque Romæ et in pompis, neque honoris modo causa, sed præsidii quoque in bellis imperatores circumstabant, in iisdem atque domini periculis versabantur. Quod si etiam candidatos, ostensionales illos

(1) *C. th.*, 6, 24, 5.

(2) *C. th.*, 6, 24, 8.

(3) *Liber matheseos*, 3, 14, 1.

(4) *Pro Marcello*, 10 : *Non modo excubias et custodias, sed etiam laterum nostrorum et corporum pollicemur.* Videntur posterius domestici equites ac pedites eodem in palatio munere fungi : Cassiod., *Variæ*, 1, 10 : *Domestici patres equitum et peditum, qui nostræ aulæ videntur jugiter excubare.*

(5) Alii protectores stant circa Theodosium, ludos edentem (in basi columnæ constantinopolitanæ), circa Justinianum templum sancti Vitalis ravennatis inaugurantem (in absidis templi mosaicis), circa anonymum imperatorem, die oblationis votorum (in monacensi diptycho) ; cf. *laterculum monumentorum* in appendice II.

milites, circa Julianum a Parthis vulneratum (1) et Valentem a Gothis oppugnatum (2) reperimus, profecto non in castris otiosi manebant protectores et domestici, quum præsertim in bello comes eorum primus post magistros militiæ incederet.

Imperatorum custodes reipublicæ quoque serviebant : non privata modo officia, sed etiam publica illis injungebantur. Neque inane est utrumque militiæ genus distinguere, quippe quam veteres quoque distinctionem adhiberent. Partem inter domesticos dicit lex a. 393 « imperatorum obsequiis inhærere », partem « officiis publicis deputari » aut « publicas exsequi jussiones (3) ». Iisdem fere verbis loquitur Ammianus Marcellinus de domesticis quibus utuntur augusti « ad juvandas publicas necessitates (4) ». Quæ jussiones etiam protectoribus mandabantur : opponit alia lex, in qua de protectoribus modo agitur, « necessitates augustorum » quibus prosunt, « expeditionibus bellicis », quibus intersunt (5).

Qui protectores domesticive non suis in scholis intra palatium sedebant, sed negotii publici causa in provinciam mittebantur, *deputati* semper vocabantur (6). Jam tertio sæculo, si qui centuriones extra ordinem vexillationibus aut bellicis expeditionibus

(1) Amm. Marc., 25, 3, 6.
(2) Amm. Marc., 31, 13, 16.
(3) *C. th.*, 6, 24, 5.
(4) Amm. Marc., 15, 5, 22.
(5) *C. th.*, 6, 24, 3; cf. *C. just.*, 12, 17, 3, ubi *de negotii publici abstrahente soilicitudine* et *de obsequiis serenitatis nostræ* loquuntur augusti.
(6) *C. theod.*, 6, 24, 5.

præficiebantur, deputati dicebantur : deputatorum centurionum nonnulli exstant tituli (1). Deputabantur milites (2) quoque et agentes in rebus (3). Recte igitur Notitiam dignitatum qui scripsit ita locutus est : « Sub dispositione comitum domesticorum fuerunt *domestici equites*, *domestici pedites* [id est qui in sedibus suis circave augustum stabant, qui *in præsenti*, *præsentales* erant] (4), et *deputati* eorum ».

Horum negotiorum quædam exempla afferenda sunt.

Corpus Constantii mortui Jovianus, quum adhuc *protector domesticus* esset, Constantinopolim vehi curavit. In eo curru stabat, quo imperatoris reliquiæ ferebantur : iidemque honores augusto defuncto et ejus domestico reddebantur (5). Ministri igitur rerum funebrium principis inter domesticos interdum deligebantur, quæ functio publica quidem sed privatis simillima erat.

Multo magis ad rem publicam negotium pertinebat quod Constantius Herculano, *protectori domestico*, mandavit. Ille, Gallo diffidens, Herculanum ad cæsarem secreto observandum misit : de cujus cœptis quædam certa protectore referente, revocat ad se augustus nepotem (6).

(1) *C. i. l.*, VI, 3557, 3558; Wilmans, 1498, 1639; cf. Albert Mueller, *Centuriones deputati* (*Philologus*, 1882, XLV), p. 494 sqq.

(2) Vegetius, 2, 19.

(3) *Notitia dign. or.*, 11,11; *occ.*, 9,9, Seeck.

(4) *C. j.*, 2, 7, 27 : *Inserendos præsentalibus domesticis*; *C. just.*, 12, 17, 4 : *Domesticorum præsentalium*; *C. th.*, 6, 24, 1 : *Jussi in præsenti esse*.

(5) Amm. Marc., 21, 16, 20. 21.

(6) Amm. Marc., 14, 10, 2.

A custodibus lateris corripiuntur magistratus, viri illustres, spectabiles, clarissimive, si qui culpam aut scelus admiserunt, et ante sacrum principis tribunal ducuntur. Africanus, Pannoniæ secundæ præses, Constantium verbis illuserat : misit *protectores domesticos* augustus « qui eum ejusque amicos catenis oneratos Mediolanum perducerent (1) ». Arrianus, Thebaidis præses (2), alter nescio cujus provinciæ rector (3), christianæ fidei rei, per *protectores* custodiuntur. *Protectores* ut Apollinarem, olim curam palatii agentem, adversus Gallum conjurantem, sub custodia teneant, Constantinopolim mittuntur (4). Contra Firmum in Africa rebellantem Theodosius magister profectus secum *protectores* habet, a quibus comes Africæ Romanus rebellantibus favens arcte teneatur (5). Ammianum quemdam provinciæ rectorem ad Symmachum præfectum urbis *protectores* deducunt (6).

Qui in palatio, etiam præfecti prætorio, ante imperatores accusabantur, protectoribus domesticisve committebantur (7). Narrant Acta sanctorum cubicularium quemdam christianum quatuor protectoribus, a quibus tenebatur, christianam fidem incussisse (8).

(1) Amm. Marc., 15, 3, 10.

(2) *Acta sanctorum*, Martii, 8, I, p. 754.

(3) Palladius, *Historia lausiaca*, 67.

(4) Amm. Marc., 14, 7, 19.

(5) Amm. Marc., 29, 5, 7.

(6) Symmachus, *Relationes*, 36, ed. Meyer.

(7) Amm. Marc., 14, 7, 12 : *Hinc ille* (Gallus) *commotus, ut injuste perferens et indigna, præfecti custodiam protectoribus mandaverat fidis.*

(8) *Acta sanctorum*, Februarii, 7, II, p. 19 A : *Imperante Diocletiano..., martyres effecti..., quatuor protectores, quorum custodiæ commissus erat b. Pe-*

Necesse erat præsides, repetundarum reos, in provincias « quas nudaverant » retrahi, quo melius de eorum juridicatu anquireretur. Hoc iter *protectorum* sub custodia inibant (1). Videntur debuisse protectores reorum rationem reddere eosque ipsos apud judices exhibere (2).

Nonnunquam in provincias mittebantur *protectores*, hostes repellendi aut seditiones comprimendi causa. Quæ mandata quum frequentissime accepta, tum per plures annos continuata erant. Ita deputatis protectoribus annonæ militares, haud secus ac ducibus legionum, tribui possunt, at non primo itineris sui anno, sed altero jam ineunte et codicillis imperatoriis renovatis (3). Evectiones quoque accipiebant, quibus binos parhippos a singulis cursus publici stationibus præpositis procuratoribus impetrarent (4). Magno studio illa appetebantur negotia, quibus peragendis (5) aut peractis (6), semper

trus. Quem Petrum cubicularium Diocletiani fuisse indicant *Acta sanctorum*, Martii, 12, II, p. 106 F.

(1) *C. th.*, 9, 27, 3 : *Natalem, quondam ducem* (Sardiniæ), *sub custodia protectorum ad provinciam quam nudaverit ire præcipimus.*

(2) Amm. Marc, 29, 3, 8 : *Protectores ad exhibendas missi personas.*

(3) *C. th.*, 7, 4, 27 : *Nullus protectorum vel domesticorum, cui aut tuitio locorum aut quædam longior commissa est necessitas..., annonas vel emolumenta percipiat, nisi circumacto anni tempore post completum consulatum in alterius consulis anno commonitorium reparare curaverit.*

(4) *C. th.*, 8, 5, 49.

(5) Quod libenter crediderim, quia qui olim centuriones deputabantur, sæpissime honore egregiatus afficiebantur ; cf. Mommsen, *C. i. l.*, VI, ad 3558 ; Mueller, *Philologus*, XLI, p. 494. Quæ deputatio (ut ita dicam) *species honoris* erat, Tacitus, *Annales*, 12, 41.

(6) Ammianus Marcellinus, 16, 10, 21.

militarium honorum in cursu provehebantur. Interdum alias ob causas in provincias mitti cupiebant. Scribit comiti domesticorum Flaviano Symmachus Valentinum quemdam protectorem, cui favet, privatis occupationibus a sedibus avocari, ideoque poscere ut sibi negotii publici gratia per provincias suburbanas mandari liceat (1).

Nonnulla protectorum aut domesticorum exempla promenda sunt, quibus, ut in Codice theodosiano dicitur, aut « tuitio locorum », aut « longior quædam necessitas » commissa fuit (2).

Anno 269, sub Placidiano, præfecto vigilum, tendebat in Gallia narbonensi vexillatio in qua *protectores* nonnulli ducenarii erant. Placidiano a Claudio, contra Gothos in orientem profecto, injuncta cura erat aut Narbonensis obtinendæ, aut ex illa provincia in Tetricum incedendi (3).

Anno 355, Constantius augustus Sylvanum, militiæ per Gallias magistrum, purpuram Coloniæ induisse certior factus, Ursicinum properans misit, a quo seditiosi reprimerentur et punirentur. Ursicino postulanti *protectores domestici* decem « ad juvandas publicas necessitates » additi sunt (4), inter quos Ammianus Marcellinus scriptor amicusque ejus Verinianus erant. Narrat Ammianus quibus difficultatibus

(1) *Epistolæ*, 2, 74, ed. Migne.

(2) 7, 4, 27.

(3) Florian Vallentin et Henzen, ap. *Bulletino dell' Instituto*, 1880, p. 105; Renier, *Bulletin épigraphique de la Gaule*, I, p. 6.

(4) Amm. Marc., 15, 5, 22.

obnoxii et periculis Sylvanum non perdomare prius valuerint quam corruptæ cohortes Braccatæ et Cornutæ eum ejusque fautores trucidavissent. Revocati Ursicinus et domestici Sirmium ad Constantium redeunt : inde Ursicino in orientem misso comites iterum dantur Verinianus et Marcellinus; cæteri domestici « ad regendos milites » eliguntur (1) : Ursicino erat bellum contra Persas gerendum, nisi eos ad pacem allicere posset. Incipit bellum a. 359. Tunc mandatur Ammianus cum centurione (et ipso deputato) ad Corduenes satrapam, cujus in terris hostem adventantem exploret (2). Haud multo post rediit, et circa Amidam obsessam, cum Veriniano prœlio adversus Persas commisso interest (3); quam urbem nondum expugnatam reliquit.

In eodem persico bello apparent *protectores* nonnulli qui, sub dispositione Ursicini, ripam citeriorem Euphratis, cum tribunis quibusdam juncti, præsidiis muniunt, præsidia machinis (4).

Valentiniano regnante, ad tuendam a barbaris Africam mittuntur Neoterius, « postea consul, tunc notarius », Gaudentius scutarius, et Masaucio *domesticus protector* (5).

Anno 368, Marcellus *protector* præsidium Nicææ agebat, vexillationibus militum non paucis præposi-

(1) 16, 10, 21.
(2) 18, 6, 21.
(3) 18, 8, 11.
(4) Amm., 18, 7, 6 : *Tribuni cum protectoribus missi*, etc.
(5) Amm., 26, 5, 14, éd. Gardthausen.

tus : namque, Procopii usurpatoris, cujus cognatus erat, interitu cognito, ad Chalcedonem occupandam et imperium capessendum satis valuit (1).

Lege anno 420 propter persicum bellum, ut videtur, lata, Romanis cum hostibus communicare prohibitum. Naviculariis, quas merces et in quas regiones transvehant, ante defensores civitatum declarandum est, præsente, aut *protectore* deputato (2), aut ducis limitanei officiali quodam.

Eademne negotia protectoribus et domesticis injungebantur? Mihi videntur, si ad exempla supra allata nos referimus, protectoribus præsertim aut reorum custodia, aut « tuitio locorum » bellicæve expeditiones commissæ fuisse : domestici autem ad illa munera deputati, in quibus administrandis minus armis et virtute quam consilio et prudentia opus esset. Fieri potest ut in lege a. 416 « tuitio locorum » ad protectores, « longior quædam necessitas » ad domesticos pertinuerit (3). De qua re tamen eo magis dubitare licet quod fortasse plures protectores vocantur qui protectores domestici fuerint.

Temporibus justinianeis, tantum intra palatium quemadmodum ostensionales candidatosve milites, ita domesticos servire tradit Procopius, bellicis labori-

(1) Amm., 26, 10, 1-3.

(2) *C. th.*, 7, 16, 3 : *Præsente protectore seu duciano;* cf. de rebus a. 420 in oriente gestis, *C. just.*, 8, 10, 10; Godefroy, *C. th.*, II, p. 405, ed. Ritter. De duce Mesopotamiæ forsan agitur.

(3) Cf. p. 29, n. 3 et p. 30.

bus minime idoneos (1). Fateor equidem non jam imperatorum custodes ad provinciarum fines tuendos mitti. Quæ cura ad duces comitesve tractuum et limitum vel ad quosdam vexillationibus, ut videtur, præpositos pertinebat, qui proprie *protectores finium* dicebantur. Narrat Menander, Mauricio augusto contemporaneus scriptor, quum Tiberii et Chosrois legati a. 581 Daram convenirent, loca ubi de pace deliberaretur disposita fuisse a *protectore finium* (2). Quod nomen his præpositis datum fuisse videtur, quia eo olim officio fungebantur augustorum protectores : neque hanc veram istius tituli esse originem negat Menander, qui, si libris manuscriptis credimus, *protector* ipse fuit, forsan finium protector (3).

At non omnino Procopio credendum est, rerum militarium valde ignaros esse protectores asserenti. Neque raro fortiter et feliciter circa imperatores dimicaverunt, aut contra publicos hostes aut contra plebem rebellantem. Defenderunt enim Leonis palatium a Gothis obsessum (4) ; tuiti sunt Anastasium a Byzantinis (5). Immittebat eos in populum Justinia-

(1) *Anecdota*, 24, III, p. 137, 3, ed. bonnensi : Ἀνέκαθεν ἀμελέτητοί εἰσ πολεμίων ἔργων.

(2) *Excerpta de legationibus*, p. 171 c; ed. bonn., p. 418 : Ὁ δέ γε τῶν μεθορίων λεγόμενος προτίκτωρ (δηλοῖ δὲ παρὰ Ῥωμαίοις τὸν ἐς τοῦτο καταλεγόμενον ἀξίας, τὸν βασίλειον προσκεπαστὴν), οὗτος δὴ οὖν κατεσκεύασε καλύβας, ἐν αἷς ἔμελλον ἑκατέρας πολιτείας πρέσβεις τὰ εἰρημένα διασκέπτεσθαι · τοῦτο γὰρ τὸ λειτούργημα ἄνωθέν τε καὶ ἐξ ἀρχῆς τῷ προτίκτωρι ἐπιτέτραπται.

(3) Cf. Suidam, v° Μένανδρος.

(4) Malala, *Chronographia*, 14, ed. bonn., p. 371, 22.

(5) Malala, *Chr.*, 16, p. 394, 20.

nus (1). Sæpius autem digniora stipendia merebant : Mauricio regnante, quum ab Avaris prope expugnata Constantinopolis et imperium sublatum esset, ad longos muros protegendos remque publicam servandam custodibus suis usus est augustus (2).

Multa igitur negotia ad salutem reipublicæ spectantia custodibus imperatores mandabant suis. Non principum modo custodes erant protectores domesticique, sed imperii quoque, ut ita dicam, defensores, lectus sub augustorum dispositione numerus, manus ad reipublicæ eorumque hostes summovendos semper prompta. Principi tantummodo serviebant Germani et equites singulares. Circa principem proprie militant protectores : sed ab eo publicis quoque negotiis adhibentur, reipublicæ, ut olim prætoriani, serviunt; aut, ut melius dicam, suis custodibus utitur princeps ad res publicas arbitrio suo tractandas. Quum publica et privata munera ita confunderentur, in tyrannidem dominatio, in monarchiam gliscebat imperium. Adversus cæsarem Gallum, a quo jussi protectores Domitianum præfectum prætorio corripuerant, invectus est Montius quæstor, « consulens in commune » (3).

(1) Malala, *Chr.*, 18, ed. bonn., p. 483, 12.

(2) Theophylactus Simocatta, *Historia Mauricii*, 7, 15, ed. bonn., p. 298, 14 : Τοὺς σωματοφύλακας ἀναλαβὼν, οὓς ἐξκουβίτωρας Ῥωμαῖοι ἀναγορεύουσι, καὶ τὸ ὁπλιτικὸν συλλεξάμενος, τὰ μακρὰ διεφρούρησε τείχη.

(3) Amm. Marc., 14, 7, 12.

IV

QUEM GRADUM IN MILITARIUM HONORUM CURSU OBTINERENT DOMESTICI ET PROTECTORES; QUIBUS STIPENDIIS ET PRIVILEGIIS FRUERENTUR.

Propter dignitatem negotiorum quæ in palatio implebant et officiorum publicorum quibus fungebantur, protectorum numerus in exercitibus populi romani primus, et tanquam legio cæteris e legionibus lecta habebatur (1). Eligebant maxima cura imperatores quos in consortium custodum adsciscerent, neque quemlibet sinebant, sic ait Johannes Chrysostomus (2), ad latus suum stare. Quin etiam videntur ipsi suos eligere protectores. Servantur litteræ a Juliano augusto ad Leonem quemdam scriptæ, cui nuntiat a se eum protectorem factum (3). Orat a Ri-

(1) Synesius, *De regno*, 12, ed. Migne (*Patr. gr.*, LXVI), p. 1084 : Ἀπὸ τῆς στρατιᾶς στρατιά τις ἔκκριτος.

(2) *Homiliæ, In Matthæum*, 54 (55), ed. Migne (*Patr. gr.*, LVIII), p. 538 : Ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ τῆς γῆς βασιλεὺς οὐκ ἂν ἀνάσχοιτο πάντας εἶναι ἐν τοῖς βασιλείοις, οὐδὲ παρὰ τὰς αὐτοῦ πλευράς.

(3) Julianus, *Epistolæ*, 22 : Ἐγκατελέξαμεν δέ σε τῷ τῶν οἰκείων συν-

chomere, magistro militiæ, Symmachus, ut Firmo, protectoriam dignitatem affectanti, succurrat, id est ut Firmo imperatorem conciliet (1).

Duplici via, « variis itineribus », ad scholas protectorum et domesticorum provehebantur, aut « potentia, suffragio, gratia », aut « post emensum laborem », id est omnibus infra positis militiæ gradibus decursis (2). Hæc originis dissimilitudo in protectorum codicillis inscribebatur hujusque semper, quo tempore merebantur, habita esse ratio videtur (3).

Qui « potentia, suffragio, gratia » ad protectoriam dignitatem pervenire dicuntur, eam non per ambitum suffragiumve potentioris assequebantur, sed propter natalium splendorem. Licet Firmo Richomeres et Symmachus faverint, ille, si forte protector nominetur, non potentiæ, non gratiæ titulum debuisse dicatur, quum hunc utpote veteranus « post emensum laborem » induerit.

Quemadmodum, Trajani ætate, senatorum filii, ut *tribuni legionum*, ita, quarto sæculo, clarissimi juvenes (clarissimorum virorum filii), ut protectores augustorum, prima stipendia merebant : hic primus illorum in honorum cursu gradus erat. Pars e custodi-

τάγματι; cf. Amm. Marc., 25, 10, 9; Procop., *Anecd.*, ed. bonn., III, p. 43, 9.

(1) Symmachus, *Epistolæ*, 3, 67, ed. Migne. Protectorem expulsum imperator restituit in scholam, *C. th.*, 6, 24, 5.

(2) *C. th.*, 6, 24, 3, ubi modo de *protectoribus domesticis* agitur.

(3) *C. th.*, 6, 24, 3.

bus inter magistratuum, virorum illustrium spectabiliumve filios, adolescentesque e clarissimorum familiis ortos deligebantur. Se Ammianus Marcellinus, qui nobili loco natus erat (1), admodum adolescentem inter *protectores domesticos* meruisse fatetur. Adolescens quoque erat hujus collega Verinianus (2). *Protector* erat Marcellus, Procopio, magistro militiæ, eidemque imperatoriæ domui affini (3), proximus (4). Filius erat Masaucio Cretionis ex comite Africæ (5), Herculanus, viri cujusdam illustris ex magistro militiæ (6) : uterque *protector domesticus*. Plures etiam imperatores inter protectores primum militaverunt. Constantius Chlorus, e nobilissima Thraciarum gente ortus (7), Valens, cujus pater Africæ comitivam obtinuerat, quemque Julianus custodem (8) diis sacrificare frustra jussit (9), *protectores* fuerunt. Jovianus denique, a patre comite domesticorum ortus, inter *protectores domesticos* serviebat quum imperator a mi-

(1) 19, 8, 6 : *Insuetus ingenuus.*

(2) 16, 10, 21 : *Adolescentes eum* (Ursicinum) *sequi jubemur* (a. 357). Fortasse jam inde ab a. 353 Ammianus Verinianusque inter protectores militabant, quo anno Nisibi stabant circa eumdem Ursicinum, *cui nos obsecuturos junxerat imperiale præceptum*, 14, 9, 1.

(3) Amm., 23, 3, 2; 26, 6, 1. Procopius a. 365 purpuram in oriente induit, natalibus suis fretus.

(4) Amm., 26, 10, 1.

(5) Quapropter in Africam missus est, Amm., 26, 5, 14 : *Ea consideratione quod, diu sub patre Cretione quondam comite educatus, suspecta noverat loca.* Cf. p. 31.

(6) Amm. Marc., 14, 10, 2.

(7) Anonymus valesianus, 1, 1; Trebellius Pollio, *V. Claudii*, 13, 2.

(8) Amm. Marc., 30, 7, 3.

(9) Socrates, *Hist. eccl.*, 4, 1 (*Patr. gr.*, LXVII, p. 463).

litibus factus est (1). Quo tempore magister militiæ Gerontius purpuram filio suo induit, hic in palatio ut *domesticus* merebatur (2).

Cæteri corporis custodes milites erant qui prius omnia stipendia minora fecerant quam ad illam supremam dignitatem, longi laboris pretium, provehebantur. « In terrestri militia », quam dum cœlesti militiæ comparat, scribit Paulinus nolanus episcopus, « soletis in votis habere hanc officii promotionem ut *protectores* efficiamini (3) ». Iisdem ferme verbis de militibus loquitur imperator quidam, « quos peractæ militiæ labor, decurso stipendiorum ordine, *protectoris* honore cumulavit (4) ».

Fiebat nonnunquam tamen ut citra ordinem aliquis consortio protectorum jungeretur. Nondum ullis stipendiis functi erant Justinus ejusque comites, quum eos Anastasius inscribi matriculis, propter eximium corpus, jussit (5). Ammiano si credimus, Gratianus major *protectoris* dignitatem assecutus est, ob « militum more luctandi peritiam (6) ». Fortia modo egregiaque corpora circa imperatores stare oportebat (7).

(1) Amm., 25, 5, 4. 8; Zos., 3, 30.

(2) Excerpta ex Olympiodoro, ed. bonn., p. 451 : Μάξιμον, τὸν ἑαυτοῦ παῖδα, εἰς τὴν τῶν δομεστίκων τάξιν τελοῦντα.

(3) Migne, *Patr. lat.*, LXI, p. 304 b.

(4) *C. th.*, 13, 1, 14. Cf. 13, 1, 7; Symmachum, *Ep.*, 3, 67; Julianum, *Ep.*, 22.

(5) Procopius, *Anecdota*, ed. bonn., III, p. 43, nisi forte in domesticorum, non in candidatorum scholas recepti fuerint.

(6) 30, 7, 3.

(7) Cf. Corippum, *De laudibus Justini minoris*, 3, 171. 172.

Nemini dubium esse potest civitate romana domesticos protectoresve omnes usos esse. At nonnulli barbaram originem ducunt : exempli gratia nominandi sunt Vitalianus et Carpilio, *domesticus protector* uterque; ille *Herulorum* numero (1), hic in *Batavorum seniorum* (2), inter barbara palatinarum legionum *auxilia* (3), prima stipendia meruerant.

Plerique autem in legionibus civium romanorum militaverant. Quum legiones aut pseudocomitatenses, aut comitatenses, aut palatinæ vocarentur, orti sunt e *pseudocomitatensibus* : Eugnomonius, de *Martensium* numero (4) ; e *comitatensibus* : Valerius Thiumpus (5) et Martinus (6), de *Lanciariis* ; Flavius Fandigilus (7), de *Armigeris*; Flavius Marcus, de equitibus *Stablesianis* (8) ; Maximinus Daza, postea imperator, de numero *Scutariorum* (9). Flavius Memorius

(1) Amm. Marc., 25, 10, 9 : *Vitalianus domesticorum consortio jungitur, Erulorum e numero miles.*

(2) *C. i. l.*, V, 8743 : *Fl. Carpilio, domesti(cus), de num. Bat. sen.*

(3) De auxiliis, v. *Notitiam dignit. occ.*, 5, 162 (Heruli); *or.*, 5, 49, et *occ.*, 5, 163 (Batavi seniores), Seeck.

(4) *C. i. gr.*, 9449 : Εὐγνωμόνιος προτίκτορ τῶν γενναιοτάτων ἀριθμοῦ Μαρτησίων ; de Martensibus, cf. *Not. occ.*, 5, 265.

(5) *C. i. l.*, III, 6194 : *D. M., Val. Thiumpo, qui militavit in leg. XI Cl., lectus in sacro comit. lanciarius, deinde protexit ann. V, missus, pref. leg. II Hercul.*

(6) Titulus urbanus, *Eph. epigr.*, IV, 911 : *In prima Minerbes mil. ann. V, in und[ecima] ann. IIII, in Lanciaria ann. V, in pr. ann. V.*

(7) *C. i. l.*, V, 8747 : *Protector, de numero Armigerorum.* Non certum est omnes Armigerorum numeros fuisse comitatenses, v. Seeck, *Not. dign.*, indices, pp. 316 et 320.

(8) *C. i. l.*, III, 371 : *Militavit in v[e]xillatione Fesianesa (?) annis XXIII, unde factus protector[, ide[m]que militavit in scola protectoru[m] annis [q]uin[q]ue.*

(9) Lactantius, *De mort. pers.*, 19.

et Florius Baudio inter *legiones palatinas* meruerunt, Memorius in *Jovianorum numero* (1), Baudio in *legione secunda Italica* (2). Adde T. Torium Gemellianum qui videtur in *legione secunda Adjutrice* (3) militasse, quæ legio nescio quem gradum obtineret.

Notandum est barbaros aut romanos, veteranos aut clarissimorum filios indiscrete protectorum vel domesticorum scholæ adjungi : quod etiam quædam Codicis theodosiani lex indicat (4). At fere semper, ut videtur, clarissimi juvenes domestici fiebant, quam rarissime protectores (5), quum protectorum numerus plerumque e veteranis modo constaret. Etiam qui olim inter equites meriti erant, stipendia protectores pedestria facere poterant (6).

Quinque annos continuos custodes omnes in palatio « protegere » videntur debere (7).

Quum, ætate post Constantinum, in militari disci-

(1) Gruter, 495, 3; cf. *Not. dign. or.*, 5, 143, *occ.*, 5, 145.

(2) Tit. spoletinus, Orelli, 3391 : *D. M., Florio Baudioni, viro ducenario, protectori, ex ordinario leg. II Ital. Divite.*

(3) *C. i. l.*, III, 3566 : *Quondam... oc... fabr. legionis II A[dj(utricis)]..., prot. au[g(usti) n(ostri)]*. Adde quemdam *ex protectoribu[s]... [centurionem ?] classis Rabennatium*, tit. urb., *Eph. ep.*, IV, 923. De protectoribus e prætoriis cohortibus lectis cf. p. 9.

(4) *C. th.*, 6, 24, 3, cf. p. 35. Cf. Amm. Marc., 16, 10, 21. Quidam *protector domesticus*, annos L natus, erat, *C. i. l.*, V, 6226.

(5) Valens, Marcellus, Constantius Chlorus *protectores* fuerunt : at forsan *protectores domestici* legendum est; cf. p. 37.

(6) Cf. p. 39, n. 8; vexillationes ex equitibus stabant, Vegetius, 2, 2.

(7) Quinque annos in scholis custodum militaverunt Val. Thiumpus, *C. i. l.*, III, 6194; Fl. Marcus, *C. i. l.*, III, 371; Martinus, *Eph. epigr.*, IV, 911; de tempore, quod cæteri meruerunt, nulla in titulis mentio.

plina cursus munerum honorumve eodem modo ac prioribus imperii romani sæculis (1) esset, operæ pretium est disquirere quem gradum in eo obtineret protectoris domesticive dignitas.

Baudio (2), postquam primos ordines (*ex ordinario* erat) (3), Aurelius Processanus (4), postquam cohortem sextam prætoriam duxit, protectores nominantur. Atqui *centuriones legionum ordinarii* et *centuriones cohortium prœtoriarum* pari gradu incedebant : utrique, post centurionatum, *primipilatum* assequebantur (5). Inde patet, primipilatui protectoriam dignitatem æquatam fuisse.

Primipilatus aut primus honorum aut ultimus munerum militarium habebatur : summus militiæ illorum gradus erat qui neque inter clarissimos neque inter equites romanos numerabantur. Primipilatus (quemadmodum protectoria dignitas) militiam quasi coronabat : dies quo quis primus pilus (ita ut protector) fiebat, « dies consummationis » vocabatur (6).

At si primipilus honestam missionem recusat, militare perseverat, illi principium honorum primipila-

(1) Quem *ordinem militiæ decursum* vocant imperatores, *C. th.*, 7, 21, 1.

(2) Orelli, 3391 ; cf. p. 40, n. 2.

(3) Cf. Mommsen, *Eph. ep.*, IV, p. 239, ex Frontino, *Strat.*, 1, 5, 12, loquentem.

(4) Gruter, 530, 9.

(5) Wilmanns, 1597, 1598; Henzen, 6767; *C. i. l.*, II, 4461.

(6) Marini, *Arvali*, 629 B = Muratori, 799, 6 = *C. i. l.*, VI, 3580.

tus habetur, post eum ad *tribunatum legionis* promovetur (1). Atqui plerique, postquam protexerunt, facti sunt tribuni legionum, seu e legionibus orti, seu clarissimi juvenes erant. Aurelius Sabinianus, vir egregius, procurator augusti, e protectore factus erat tribunus (2). Fuisse Maximinum Dazam tradit Lactantius « scutarium, protectorem, tribunum (3) ». Constantius Chlorus fuit « protector primum, dein tribunus (4) ». Idem de Gratiano majore refert Ammianus (5). Inter protectores eligebantur labari custodes (*labaro præpositi*) (6), quos tribunitia dignitas ornabat.

Nonnulli quidem, non tribunatum, sed *præfecturam legionis* citra ordinem accipiebant : sic Valerius Thiumpus præfectus secundæ legionis Herculianæ (7), Memorius, præfectus Lanciariorum (8) facti sunt. Sæpissime vero primipilares ad præfecturam omisso tribunatu perveniebant (9).

Per tribunatum aut præfecturam ex protectoribus

(1) Henzen, 6767, 6947, etc. Cf. Marquardt, *Staatsverwaltung*, II, p. 366.

(2) *Eph. ep.*, IV, 256 : *Aur. Sabiniani, v. e., proc(uratoris) duc(enarii) prov. Dalmat., trib., protec...*

(3) *De mort. pers.*, 19.

(4) Anon. vales., 1, 1.

(5) 30, 7, 3 : *Post protectoris dignitatem et tribuni.*

(6) *C. th.*, 6, 25.

(7) *C. i. l.*, III, 6194 ; cf. *Eph. epigr.*, II, 678 : *Pref. leg. II A[ug]., ex-prot.*

(8) Gruter, 495, 3.

(9) Cf. Wilmanns, *Eph. ep.*, II, p. 80 ; Krabe, *De centurionibus Romanorum quæstiones epigraphicæ* (Halis, 1880, in-8), p. 19.

ad majora, comitivam (1) præsidiatumve (2), ascendebant.

Ergo eadem protectoria dignitas, quum pretium longi laboris, ut olim primipilatus, militibus, tum honorum principium, ut olim tribunatus, clarissimis juvenibus proponebatur. Non jam maximum præmium, maxima gloria, in castris, in provinciis reipublicæ servire, sed in palatio domino. Quod si Plinius junior tempore Constantini vixisset, non ut tribunus legionis, sed ut protector domesticus, primum in honorum militarium cursu passum fecisset.

Protectorum numerus nobilis, e nobilibus composita custodia vocari potest, quum inter eos nullus nisi nobilitate præditus sociaretur. Multi viri clarissimi fuerunt, ut vidimus (3). Cæteri equites erant romani.

Non dubium est quin primipilatui census equestris adhæserit (4) : unde colligere debemus omnes protectores e legionibus ortos inter equites haberi. Atqui in titulis aut *equites* (5), aut *viri egregii* (6),

(1) Gallienus fuit *comes rei castrensis per Africam*, dein *comes Britanniarum*, Amm. Marc., 30, 7, 2. 3; Vitalianus, *comes Illyrici*, 25, 10, 9.

(2) Constantius fuit *præses Dalmatiæ*, Anon. vales., 1, 1; cf. Gruter, 495, 3.

(3) Præter filios magistratuum de quibus supra dictum, cf. in titulis, *C. i. gr.*, 9253 ; Gruter, 626, 8 ; *Berichte der sächsischen Gesellschaft*, 1851, p. 333 : omnes *protectores domestici* fuerunt.

(4) Martialis, 6, 58 ; Ovidius, *Amores*, 3, 8, 9 sqq.; cf. Krabe, *De centurionibus*, p. 9 sqq.

(5) *C. i. l.*, VI, 1595 : *Aur. Claudiano, eq(uiti) r(omano)..., Fla. Viator, protector, pater filio.*

(6) Cf. p. 50, n. 2.

aut *viri perfectissimi* (1), quæ ultima verba ordinaria equitum epitheta erant (2), aut denique *ducenarii* (3) vocantur. De viris ducenariis nil certum adhuc compertum est, neque nostrum est quæ fuerit ista dignitas nunc funditus investigare. Illud modo animadvertendum est ducenarium quemque dictum equestri loco esse : senatoribus ducenarios Hieronymus postponit (4) ; perfectissimatu minor, egregiatu minor « ducena dignitas » in Codice theodosiano æstimatur (5) ; qui procuratores augustorum ducenarii nominantur in titulis, equestri nobilitate fruebantur (6); adde, quod protectores domesticive, simul ac ad summum ordinis sui gradum, decemprimatum, perveniebant, clarissimatu ornabantur (7) : quod fieri, ut mihi videtur, non potuisset, nisi jam perfectissimatum,. aliamve quamvis equestrem induissent dignitatem.

Fortasse propter illud protectores, quemadmodum procuratores, ducenarii dicebantur, quod bis sestertium merebant (8). Quum in titulis nunquam sexa-

(1) Cf. p. 50, n. 1 et 3.

(2) Hirschfeld, *Untersuchungen*, I, pp. 273, 274. Neque hoc loco disquirendum judico quæ sit inter utrumque titulum differentia.

(3) *Bulletin épigraphique de la Gaule*, I, p. 7; *C. i. l.*, III, 6439; V, 5833; Gruter, 530, 9; Orelli, 3391; Allmer, *Inscriptions de Vienne*, I, 418.

(4) Ed. Migne, II, p. 370; cf. Theodosium II, *Novellæ*, 21, 1, ed. Hænel : *Licentia verberandi regradandive senatores ac ducenarios.*

(5) Exempli gratia, *C. th.*, 8, 4, 3.

(6) Cf. Hirschfeld, *Untersuchungen*, I, titulum *Die procuratorische Carriere*, quo nil unquam de ea re lucidius et certius dictum est.

(7) Cf. p. 65.

(8) Cf. Hirschfeld, I, pp. 259-265.

genarii, aut centenarii, sed modo ducenarii protectores memorentur, primique in scholis non ducenarii, sed senatores sint et decemprimi vocentur, fieri potuit ut protectores omnes ducena millia sestertia acciperent, non omnes, utpote domi divites, in titulis ducenarii appellarentur.

Nullus e domesticis, si nos ad titulos referimus, ducenarius egregiusve videtur fuisse. Quos crediderim quum majora stipendia accepisse (de veteranis loquor), tum, exempli gratia virorum illustrium filios, gratis militasse. Neque tamen legionarios omnes clarissimatu fuisse ornatos, etsi domesticorum cœtui sociatos, inde colligimus quod hanc dignitatem simul cum decemprimatu ordinis sui impetrabant (1).

Nulli ferme militari dignitati tot privilegia quot protectoriæ obveniebant. Jam clarissimatus equestrisve nobilitatis gratia a sordidis muneribus immunes erant, tormentis subjici non poterant. Plura etiam protectori commoda contingebant. Quum prætorianus miles, Domitiani tempore, quatuor circiter millia sestertium tantum mereret (2), quinquagiens majora stipendia protector accipiebat. At stipendia a Juliani Diocletianive ætate nec sestertiis nec denariis, sed solidis aureis numerabantur (3) (querebantur Theodorici protectores « pro emolumentis sibi non integri ponderis solidos

(1) Cf. pp. 15, 65, 66.
(2) Vide Marquardt, *Staatsverwaltung*, II, p. 93.
(3) Cf. Mommsen, *Geschichte des römischen Münzwesens*, p. 797.

dari ») (1) : ducena igitur millia sestertium, tertio sæculo, idem ac, quinto, tria millia et sexcenti solidi aurei valent (2).

Quod si res ita esset (neque non probabilis videtur), brevi ditescebant protectores : neque jam mirandum si Justinianus, solito more, ære alieno laborans, custodes suos emolumentis privaverit (3). Etiam notandum est protectoris, anno nondum peracto mortui, reliqua stipendia heredibus obvenire (4).

Addebatur stipendiis militaris annona, quam pecunia, « pro rerum venalium pretio, sequebantur (5) ». Quadruplex domesticorum annona erat, qui fortasse, quemadmodum medii ævi lanciarii tres homines, plurimos servos circa se habebant (6). Sena quoque capita, id est sex pabuli rationes, accipiebant : his hercle non unus equus erat.

Deputati protectores et domestici, ut vidimus, annonas a provincialibus tantummodo tum exigere pote-

(1) Cassiodorus, *Variæ*, 1, 10.

(2) Quum ducena millia sestertium idem essent, Domitiani tempore, atque duo millia aureorum solidorum, quumque solidus aureus, inde a Juliani tempore (Mommsen, p. 778), modo e quinque nonis partibus aurei antiqui constaret, ut idem stipendium mererent protectores, tria millia sexcentos aureos accipere debebant.

(3) Procopius, *Anecdota*, 24, ed. bonn., III, p. 137.

(4) Illo modo legem *C. th.*, 6, 24, 11, cum Godefroy interpretor : *Fructus* (emolumenta) *domesticis impio termino consequentibus, etiamsi mortalitas intervenerit* (i. e. anno nondum peracto), *perire non possint; sed, quodam modo superstes, illis solatii servetur occasio* (quia proximos etiam mortui sustentant).

(5) *C. th.*, 7, 4, 10 : *Protectores fori rerum venalium, juxta veteris moris observantiam, in annonarum suarum commoda, pretia consequantur.*

(6) *C. th.*, 6, 24, 1 ; cf. p. 17.

rant, quum alterum annum commeabant (1). Eos vero probabile est, pretium *tractoriarum annonariarum*, quas usque ad ultimum anni diem accipere debebant, apud arcarium præfectorum prætorio (qui stipendia protectorum numerare solebat) (2) jam esse consecutos. Simul cum diplomate *tractoriam censualem* accipiebant, qua duos equos in singulis cursus publici stationibus mutuari poterant (3).

Adde capitationis excusationem, quæ non ad protectores modo, sed et ad eorum parentes mulieremque pertinebat (4); adde portorii quoque immunitatem, dummodo pro mercibus quæ sub ipsorum nomine transvehebantur, minus quam quindecim solidos solvere deberent (5).

Quæ propter commoda ditissimi habebantur protectores. Itaque Paulinus cum protectoria dignitate milites dicit non otium modo, sed et divitias assequi (6). Loquuntur Acta sanctorum « de mille ac tribus famulis, procuratoribus, dispensatoribus, cum uxoribus semel ac liberis » quatuor protectorum, qui dominorum fidei et supplicii participes fuerunt (7). Teotychus protector a Diocletiano ad supplicium mis-

(1) *C. th.*, 7, 4, 27; cf. p. 29, n. 3.

(2) Cassiodorus, *Variæ*, 1, 10.

(3) *C. th.*, 8, 5, 49. Quæ tractoriæ fortasse ab *actuario protectorum*, servabantur, quem titulus, *C. i. l.*, III, 6059, memorat : hæc functio actuariorum erat, cf. *C. th.*, 7, 4, 16.

(4) *C. th.*, 7, 20, 4 : *Suum caput, patris ac matris et uxoris... excusent.*

(5) *C. th.*, 13, 1, 14; cf. 13, 1, 7 in qua *unius quindenæ* legendum.

(6) Migne, *Patr. lat.*, LXI, p. 304. Cf. p. 38.

(7) Februarii, 7, II, p. 19 a.

sus, partem dimidiam divitiarum pauperibus, reliquam imperatori donat (1). Delubrum diis pro augusti reditu ædificat Aurelius Faustus (2). In municipio suo M. Aurelius Valerius inter primores erat : pecunia sua thermas restitui curavit, epulas, quibus præses provinciæ interfuit, ut videtur, civibus præbuit (3).

At illud inter protectorum privilegia maxime appetendum videbatur, quod imperatorem adorare die quoque solenni custodibus divini lateris licebat (4). Cujus adorationis talis erat ritus : incedebat protector ad sacrum solium, flectebat genu, contingebat manu purpureæ chlamydis segmentum quod ipse ei tendebat imperator (5). Id adeo honori ducebatur, ut qui sacram vestem « contingere digni æstimati » essent, osculandi etiam spectabiles viros « haberent potestatem » : vicariis quibusdam, viris spectabilibus, osculum protectoribus denegantibus, scripsit Theodosius præfecto ut illis tanquam sacrilegium admittentibus pœnam minaretur (6).

Non videntur domestici majora privilegia quam protectores accepisse (de emolumentis non loquor).

(1) *Acta sanctorum*, Martii, 8, 1, p. 755 : *Ut mediam facultatum mearum ipse præsumas et mediam erogari jubeas pauperibus et pupillis.*

(2) *Bulletino dell' Instituto*, 1861, p. 123 = Orelli, 1869; cf. p. 20, n. 5.

(3) *C. i. l.*, III, 1805.

(4) *C. th.*, 6, 24, 4 : *Contingere nostram purpuram digni sunt æstimati.*

(5) Ex Ammiano, 15, 5, 18; 21, 9, 8.

(6) *C. th.*, 6, 24, 4 : *Domestici ac protectores osculandi, quum salutaverint, vicarios Tui Culminis* (præfecti prætorio) *habeant potestatem : pœna enim sacrilegii similis erit, si his honorificentia non deferatur, qui contingere*, etc.

Illud unum inter utrumque numerum interest, domesticorum modo, non protectorum filios, in matriculis scholæ inscribi, annonasque usque ad id tempus consequi quo arma gerere valent (1). Etiam parentes domesticorum hoc commodo fruebantur. At, quum in domesticorum munere capessendo pars adolescentes essent, e parentibus ditissimis nati, privilegium tantummodo militibus legionariis competere debuit, non clarissimis juvenibus. Propter quod protectoribus quoque haud multo post illud obvenisse crediderim: lex qua iis collatum fuit, nobis non servata est.

DE VETERANIS EX PROTECTORIBUS AUT EX DOMESTICIS.

Eadem privilegia, e numero egressus, quum honestam missionem deposcebat, protector domesticusve retinebat. Vocabatur veteranus *ex protectoribus* (2) vel *ex domesticis*, quæ verba raro singulariter usurpantur (3). Dignitas ex protectoribus esse habebatur (4); hæc codicillis imperatoriis deferebatur, quam vocabant *epistolam testimonialem ex protectoribus* (5).

Per codicillos equestris dignitas protectori relin-

(1) Lex anni 364, *C. th.*, 6, 24, 2.

(2) Græce Ἀποπροτίκτωρ. Dignum est notari quemdam protectorem post xxv stipendia, quæ ordinaria erant, missum fuisse, *C. i. l.*, III, 6194.

(3) *Ex domestico* : *C. i. l.*, III, 2656; *ex protectore* : *C. i. l.*, III, 2760 a; V, 1796, *C. th.*, 7, 20, 8.

(4) *C. th.*, 8, 7, 3.

(5) *C. th.*, 7, 20, 12; 8, 7, 3. Epistola testimonialis definitur a Vegetio, 2, 3 : *Littera principis, qua dignitas confertur.*

quitur; neque raro inter ex protectoribus in titulis memoratos aut vir perfectissimus (1) egregiusve (2) aut vir ducenarius (3) invenitur. De clarissimis non loquor, quos, ut Ammianum, gloriosiora et magis lucrosa officia manebant.

Aut equestris nobilitatis causa, aut propter diploma testimoniale, his quæ sequuntur veterani ex custodibus fruebantur commodis :

I. Immunes erant ab omni quum capitationis tum vectigalis genere. Fisci procuratoribus necnon publicanis interdicebatur, ex protectoribus inquietare (4). Excusati quoque eorum filii, tempore antejustinianeo (5).

II. Neque curialium neque collegiorum muneribus obnoxii erant (6); quam immunitatem veteranorum filii non habebant (7). Inde fit ut ex protectoribus jus concedatur, ubicumque imperii sedem habendi, quam velint patriam eligendi (8). Scimus autem curiales, ut curiam, ita civitatem deserere non posse suam.

(1) *C. i. l.*, III, 4185.

(2) Cf. Gruter, 530, 9, ubi de protectore, at non certe, agitur.

(3) V. *p. ducen[arius] ex protectorib.*, *C. i. l.*, III, 1805.

(4) *C. th.*, 7, 20, 2 : *Publicani quoque... ab his veteranis amoveantur. Fisco nostro quoque eadem epistula interdiximus, ut nullum omnino ex his inquietaret.* Adde, a. 519 concessam, immunitatem præbitionis tironum, *C. just.*, 2, 7, 25, 3.

(5) *C. th.*, 7, 20, 2 et 9. Cf. Cagnat, *Le portorium*, p. 131 = *Les impôts indirects chez les Romains*, p. 124.

(6) *C. th.*, 7, 21, 3.

(7) *C. th.*, 12, 1, 89.

(8) *C. th.*, 7, 20, 8 : *Omnibus benemeritis veteranis quam volunt patriam damus.*

III. Terræ ædemque immunes et in perpetuum immunes veteranis publice donabantur, quas suis heredibus transmitterent (1). Magna subsidia quoque illis ministrabantur ad emenda agris colendis necessaria : in nummo millia follium viginti quinque accipiebant (2), id est sexcenta quinque et viginti denariorum millia (3). Adde bina juga, centenos utriusque frugis (cerealium nempe et leguminum) (4) modios (5), quum cæteri veterani singula juga, centenos modios consequerentur. At si quis ex protectoribus commercium exercere cupiebat, multo minora commoda obtinebat : tantummodo merces usque ad centum follium summam immunes transvehere poterat (6) ; quo tempore militabat, majore portorii immunitate fruebatur. Dignum est notari cum quo studio imperatores veteranos ad agros colendos compellerent.

IV. Corporeis et sordidis muneribus ex protectoribus veteranos adstringi (7), verberibus (8) incongruisve injuriis (9) puniri, tormentis objici vetabatur. Constantinus ex protectoribus sub speciali rectorum

(1) *C. th.*, 7, 20, 3 : *Vacantes terras accipiant easque perpetuo immunes habeant.*

(2) *C. th.*, 7, 20, 3, ed. Hænel : *Ad emenda ruris necessaria in nummo viginti quinque millia follium consequantur.*

(3) De minore folli, ut videtur, e viginti quinque denariis constante, non de majore, centum denarios habente, res agitur.

(4) Plinius, *Hist. nat.*, 18, 7(9), 48.

(5) *C. th.*, 7, 20, 8.

(6) *C. th.*, 7, 20, 3 : *Huic centum follium summam immunem habere permittimus.*

(7) Excusati palatini a sordidis muneribus, *C. th.*, 11, 16, 6.

(8) *C. th.*, 7, 20, 5.

(9) *C. th.*, 12, 1, 153.

præsidio collocat, qui mittere jubentur ad præfectos prætorio officiales suos, si qui in veteranos sævierunt (1).

V. Verisimile est veteranis ex protectoribus adorare sacram purpuram licitum fuisse.

Custodia igitur imperatorum, inter adolescentes e nobilitate ortos, superiorum magistratuum filios, et inter milites jam multos annos maxima cum laude armorum labore functos, delecta, nihil unquam majore honore, pluribus privilegiis præditum in exercitibus romanis exstitit. Dicebatur *dignitas protectoria*. Protector verbum definitur a Suida : « Genus *dignitatis* apud Romanos (2) ». Neque protectoribus ullo modo prætorianæ cohortes comparandæ sunt, quum nullus inter eos non majore gradu quam centuriones primæ cohortis prætoriæ incederet. Magna pars historiæ romanæ a Diocletiano protectores fuerunt, propter negotia publica quibus adhibebantur. Protexerunt Ammianus Marcellinus, Callistus, is quoque Juliani amicus et historicus (3). Multi imperatores prima inter custodes stipendia meruerunt. Tantus honos dignitati protectoriæ adhærebat, ut Constantius ea indui paganos vetaret (4). Si qui protectores conciliis adsunt, in actis inscribuntur (5). Anno 581, Tiberius, Mau-

(1) *C. th.*, 7, 20, 5.

(2) Suidas, v° Προτίκτωρ ·Εἶδος ἀξιώματος ῥωμαικοῦ.

(3) Socrates, *Hist. eccl.*, 3, 21.

(4) *C. th.*, 7, 21, 2.

(5) *Acta concilii carthaginiensis a.* 411, Harduin, I, p. 1049 : *Præsentibus Sebastiano, Maximiano et Petro, viris devotissimis protectoribus domesticis.*

ricium regno sociaturus, convocat patricios, episcopos, senatum, optimates, custodesque corporis (1). Timori interdum erant augustis; neque in provincias ubi aut nati erant aut domicilium habebant, deputabantur (2). Nec timor inanis, aut prudentia inutilis erat. Protector Antoninus ad eam provinciam, in quam sedem collocaverat, missus, secreta præsidiorum hosti prodiderat (3). Protector erat Marcellus, quum Chalcedone vi potitus, bellum contra augustum gessit (4). Accusatus est protector quidam, Constantio regnante, tyrannidem affectare (5). Creant protectores augustos, ut olim prætoriani : ab his imperium accepit Justinus (6), a quo imperatorum thracum dynastia incepit.

(1) Theophylactus Simocatta, 1, 1, ed bonn., p. 17 : Δορυφόρους καὶ φύλακας.

(2) *C. th.*, 8, 8, 4.

(3) Amm. Marc., 18, 5, 1-3.

(4) Amm. Marc., 26, 10, 1-2.

(5) Socrates, *Hist. eccl.*, 1, 13.

(6) Malala, *Chron.*, 17, ed. bonn., p. 410 : Ὅντινα ὁ στρατὸς τῶν φυλαττόντων τὸ παλάτιον κελεύσει θεοῦ ἐξκουβιτόρων ἅμα τῷ δήμῳ στέψαντες ἐποίησαν βασιλέα.

V

DE HONORARIIS EX PROTECTORIBUS AUT PROTECTORIBUS.

Jam tertio sæculo dignitas protectoria quibusdam, reipsa protectoris munia non implentibus, honoris causa deferebatur : qua concessa privilegiis et titulis iisdem ac protectores fruebantur, in palatio servire non cogebantur.

Nullus in militia, nisi jam centurio, protectoriam dignitatem posse videtur induere. Erant protectores, exempli gratia, Superinus (1) et T. Flavius Constans (2), uterque centurio. Quem titulum scilicet affectaverunt ut sibi, omisso labore primipilatus, tribunis fieri liceret. Etiam tribuni (3), etiam præfecti (4) pro-

(1) Henzen, 6728 = Brambach, *C. i. rh.*, 318.

(2) *Jahrbücher des Vereins von Alterthumsfreunden im Rheinlande*, 1867, p. 81. Marquardt, *Staatsverwaltung*, II, p. 589, n. 9, legit, ut mihi videtur falso, *ex protectoribus*.

(3) *C. i. l.*, III, 3126; Wilmanns, 1639 : Protectoriam dignitatem accepit Petronius, tribunus coh. IIII prætoriæ, prius quam tribunatum I coh. pr. obtinuit; cf. p. 9.

(4) *C. i. l.*, III, 3424, 3529.

tectores quoque se esse profitentur : crediderim illos, præfectura accepta vel tribunatu, titulum protectoris retinuisse, quo propius imperatori adstare significarentur.

Tertio igitur sæculo tantummodo viris qui priores militiæ gradus decurrerant, ut ad posteriores citius ascenderent, honorarii protectoris conferebantur codicilli.

At, gliscentibus annis, non jam propter honorem cupiditatemve in cursu militari procedendi, sed propter privilegia, ut asperior militia vitaretur, protectoriæ dignitatis titulus affectabatur. Quamdiu ac per quot leges conati sunt imperatores multitudinem officialium militumve a scholis custodum prohibere in quas irrumpebant ! Scimus quantus privilegii ardor posterioribus imperii romani sæculis flagraverit, quum nulli, nisi privilegiis uso, secura vita esse posset. Ut viveres, confugiendum tibi in privilegia erat. Si quis protectoris aut ex protectoribus testimonialem obtinebat, hoc ipso evitabat collegia, tormenta, capitationem, curiam : curiales præsertim, sua ut munera abnuerent, sese inter protectores insinuabant. Mali ipsi imperatores tanquam signum dederunt. Nempe eadem commoda titulo protectoris aut ex protectoribus honorarii, ac protectoris, tribuebant ; illo induebant veteranos, etiam qui nulla in palatio stipendia fecerant. Constantinus, anno 328, concessit veteranis honorariam *ex protectoribus* dignitatem : quæ, ut ait, honores

eorum cumulabat (1); plura enim privilegia ei quam nudo veterani diplomati adhærebant.

At jam in cœtum protectorum immixti erant qui neque castra viderant neque arma attigerant. Romam ingressus, Maxentio victo, a. 313, jubet Constantinus præfectum prætorio omnes *ex protectoribus* testimoniales revisere, ut qui « titulum militaris laudis » fraude impetrarint agnoscantur : illis quidem (ita malum fovebatur) titulus, etsi non privilegia, servabatur (2). Severiorem se a. 326 præstitit, quum etiam titulus ereptus sit. Multi enim e scriniis palatii officiales, officii munera effugiendi gratia, *ex protectoribus* dignitatem aut emerant aut tanquam si haberent vivebant : quos ad pristinam conditionem redegit (3).

At deserta rursus officia, relicta scrinia ; adeo omnes in palatio degentes illa custodum dignitate, nulli muneri obnoxiorum et cuncta in se privilegia trahentium, alliciebantur ! Constantius novam legem a. 349 tulit (4) : quæ et ipsa in vanum cessit. Tunc enim officiales, ob adhibitam in conferendis codicillis diligentiam, eos efflagitare non jam audebant ; sed, die cujusdam solennitatis, turbæ protectorum intermixti, purpuram augusti contingebant :

(1) *C. th.*, 7, 20, 5. Certum est veteranos non protectoriam, sed ex protectoribus dignitatem accipere, cf. *C. th.*, 7, 20, 8.

(2) *C. th.*, 7, 21, 1 : *Ideoque, si qui* ex protectoribus *.... epistulas reportaverint, non habeant privilegium.*

(3) *C. th.*, 8, 7, 2, ed. Hænel, p. 744 (cf. not. *m* et *o*) : *Officiales, quos ex diversis officiis* ex protectoribus *epistulas impetrasse constiterit, pristinæ reddi jubemus militiæ.*

(4) *C. th.*, 8, 7, 3.

quo facto, aut *protectores*, aut *ex protectoribus* fiebant. Atque adeo sancta illa habebatur adoratio ut novis protectoribus nemo denegare titulum posset, ipse Constantius noluisset. Etenim, lege a. 354 lata, tantummodo jussit qui ad adorandam purpuram cohortales aut officiales venturi essent, accurate arceri, nisi reipsa veterani ex protectoribus codicillos honorarios accepissent (1). Leges similes annis 346 (2) et 351 (3) latæ ad curiales pertinent.

At Constantius, ultimis principatus annis, severitatem ut in cæteris, ita in hoc quoque remisit; quumque Julianus ad regnum pervenit, palatium et præsertim domesticorum et protectorum scholas otiosorum multitudine refertas esse miratus est (4). Cæterum, quum Julianus majore quam plerique sæculi quarti principes studio labantes curias restituere conaretur (5), quid melius ad id proficiebat, quam tot cives in palatio vacantes ad munera et ad curias compelli suas? Jubentur ergo a Juliano, si qui ultra numerum protectoria dignitate frui cupiunt, in sedibus manere, sed nullam annonam, ideoque, ut mihi videtur, nullum stipendium accipientes (6). Illam crediderim legem

(1) *C. th.*, 8, 7, 4.

(2) *C. th.*, 12, 1, 38 : *Quoniam nonnulli, curiis derelictis, domesticorum seu protectorum se consortio copulaverunt*, etc.

(3) *C. th.*, 7, 21, 2.

(4) Amm. Marc., 22, 4.

(5) Amm. Marc., 21, 12, 23; 22, 9, 8; 25, 4, 15; Libanius, *Epistolæ*, 339; Julianus, *Misopogon*, p. 367, ed. Spanheim; cf. Hegel, *Geschichte der Städteverfassung des Italiens* (2 in-8, Leipzig, 1847), I, p. 75.

(6) *C. th.*, 6, 24, 1 : *Cæteris, qui ultra numerum in præsenti esse voluerint*,

plus quam Constantii Constantinique jussiones ad scholas protectorum vacuefaciendas valuisse.

Tot vero post Julianum latæ leges imperatorum severitatem minus quam inanes conatus arguunt; dumque regulas imponunt, non magis se in malum invehi quam malo cedere significant. Anno 366, Valentiniani lege, officiales, « qui inter *protectores*, *domesticos* vel scholares militant », muneribus suis redduntur (1). At *cornicularius* cujusque scrinii excipitur, qui « post transactos corniculos », id est, post impletum officium, protectoriam dignitatem accipiet (2). Necesse est *primicerium* quoque omnium officiorum (cui postponebatur cornicularius) eodem privilegio frui (3). In eadem Valentiniani lege alii officiales memorantur, qui, « secundum legem, nostram purpuram adorant », scilicet ut protectores; quos esse credo *numerarios*, qui tertium locum in officiis obtinebant, quibusque, ut e lege a. 382 patet, purpuram adorare post tertium gesti muneris annum conceditur (4). Notatione dignum est, in officiis ducum comitumve provincialium primicerio soli protectoriam dignitatem deferri (5).

neque annonarias, neque capitum esse mandandum, sed omnes cogendos ad pleromos suos ac terminos redire.

(1) *C. th.*, 8, 7, 9.

(2) Cf. legem a. 365, *C. th.*, 8, 7, 8.

(3) Post completos officii sui annos, protectores honorarii fiebant *primicerius fabricæ*, *primicerius singulariorum*, *C. theod.*, 10, 22, 3 (390); Cassiod., *Variæ*, 11, 31.

(4) *C. th.*, 8, 1, 13; cf. 8, 1, 17.

(5) *Notitia dignitatum or.*, dux Scythiæ, 39, 37; dux Mœsiæ secundæ,

Quæ autem lues non in curias, non in officia modo, sed et in castra irrepebat. Quo tempore Stilicho labantem imperii disciplinam illo vigore restituere tentavit, propter quem ultimus Romanorum dignus est appellari, in numero ex protectoribus invenit veteranos qui « inter exordia militiæ, in ipso ætatis flore », testimoniales fraude sibi paraverant, honesta missione prius accepta quam hoste viso. Dura lex in eos lata (1), sed nequidquam lata. Principibus enim concedentibus, ingravescit malum. Quartum jam officii annum non exspectant numerarii (2); curiales curiam turmatim deserunt (3). Continuo leges contra omnes feruntur; ultimis occidentalis imperii annis, codices silent, non quia lex vicit, sed quia victa est. Nonne enim, ætate justinianea, etiam advocati binos viros suo e consortio quoque anno eligunt, ut inter domesticos honorarii serviant (4)?

40, 38; dux Mœsiæ primæ, 41, 41; dux Daciæ ripensis, 42, 45. Legendum est : *Completa militia adorat*, *protector*, non, ut in codicibus, *protectorem*.

(1) *C. th.*, 7, 20, 12.

(2) *C. th.*, 8, 7, 9 (366); 8, 1, 13 (382); 8, 1, 17 (433).

(3) *C. th.*, 12, 1, 88 (382); 7, 21, 3 (396); 12, 1, 153 (397).

(4) *C. just.*, 2, 7, 25, 3 (519) : *Binos homines annis singulis itidem offerendi nostram adoraturos purpuram.*

VI

QUOMODO PROTECTORUM DOMESTICORUMQUE NUMERUS CONSTITUERETUR.

Non ut cæteri exercituum romanorum numeri ordinabantur protectores. Hos numerum dicimus (1), sed parum recte : numerus enim e militibus constat, milites autem non erant protectores, sed tanquam primipilorum conventus. Itaque non numerus, sed veluti civium cœtus, curiæ, collegia, nominabatur : *ordinem* protectorum, ut ordinem senatorum, historici dicunt (2). *Consortium* quoque vocabatur, sicut et advocatorum collegia (3). Sæpissime *schola* verbum usurpatur : *protectorum et domesticorum schola, protectorum schola, domesticorum schola, scholæ* memorantur. Scimus autem scholam locum esse in quem

(1) Sic loquitur Corippus, at poetice, *In laud. Just. min.*, 3, 162.

(2) Amm. Marc., 25, 5, 4 : *Domesticorum ordinis primus;* cf. *ordo corporatorum*, Wilmanns, 1742-1745.

(3) *C. th.*, 12, 1, 38; Amm. Marc., 16, 10, 21; 25, 10, 9 : *Vitalianus domesticorum consortio jungitur;* cf. *C. th.*, 12, 1, 46.

congregatur collegium (1). Hi modo qui in palatio militant, agentes in rebus, ostensionales milites, notarii, scholas componunt (2) : scholis intersunt quicumque in palatio cum privilegiis stipendia merentur.

Qui protectores non deputati, sed præsentales erant, in *sedibus*, aut, ut ait Julianus, in *pleromis* vivebant (3), quas sedes in urbe esse Procopius tradit (4). At verisimile est, quam sæpissime protectores et domesticos in palatio, in vestibulo imperatoris ædium stare. Narratur anno 531 plebs byzantina rebellans (quæ seditio νίκα vocata est) *Chalcen* vestibulum palatii æreum, deinde « protectorum locum » incendisse (5). Videntur igitur mihi protectores pone Chalcen in altero vestibulo excubias egisse : quo loco in novo palatio Constantini decimi tempore *excubitorum porticus* sitos fuisse scimus (6). Hoc in vestibulo sine dubio rei a custodibus corporis tenebantur (7).

Nonnulli quoque domestici in Cappadocia, non ut deputati, degebant (8). Quam enim provinciam ante

(1) De Rossi, *Bulletino di archeologia cristiana*, 1866, p. 57.

(2) *C. th.*, 6, 27, 9 ; *Not. dign. or.*, 18, 5 et 6 ; cf. Agathiam, ed. bonn., p. 310.

(3) *C. th.*, 6, 24, 1 ; cf. p. 57, n. 6, et Godefroy commentarium.

(4) *Anecdota*, ed. bonn., III, p. 137, 5.

(5) Theophanes, *Chronographia*, ed. bonn., I, p. 283 : Ἐνεπύρισαν τὴν εἴσοδον τοῦ παλατίου τὴν χαλκόστηγον καὶ τὸν προτικτόρων ; cf. Corippum, *In laud. Just. min.*, 3, 166 : *Porticibus longis*.

(6) Du Cange, *Constantinopolis christiana*, p. 124.

(7) Constant. Porphyrogenitus, ad a. 518, *De cær.*, 1, 93.

(8) Julianus antecessor (Procopii contemporaneus), ap. Godefroy ad *C. th.*, 6, 24, 1 : *Tam scholares homines quam domesticos in Cappadocia degentes*. Procopium crederem Galatiam cum Cappadocia confudisse, quum dixerit de parte domesticorum, *Anecd.*, 24, ed. bonn., III, p. 137 : Οἱ δὲ ἐπί τε Γαλατίας ἐκ παλαιοῦ καὶ χωρίων ἑτέρων ἵδρυνται.

omnes diligebant et sæpius visebant augusti (1) : illic vastissima prædia, plurimas ædes, quarum administrationi comes vir spectabilis præerat (2), habebant; illic pascebantur equi, ad stabulorum sacrorum ornamentum destinati (3). Ibi igitur morabatur domesticorum vexillatio, quibus custodia sacræ rei mandata erat (4).

Quam multi protectores et domestici essent, et quemadmodum numerus ordinaretur, deficientibus scriptoribus et legibus, dici non potest. Ordo e scholis constabat. Mihi tamen non videtur credendum, unam fuisse protectorum peditumve, unam equitum domesticorumve scholam, etsi sæpe de *schola equitum, de schola domesticorum* sermo est (5). Jubet enim Julianus in lege frequenter supra memorata et ad domesticos tantummodo pertinente hos « per singulas scholas quinquagenos » in præsenti manere (6).

(1) Justinianus, *Novellæ*, 30, in præf.

(2) Justin., *Nov.*, 30.

(3) Claudianus, *De laudibus Serenæ*, 190-192, Jeep :

Dilectus equorum
Quos phrygiæ matres argæaque gramina pastæ
Semine Cappadocum sacris præsæpibus edunt.

(4) Credit Godefroy ad *C. th.*, 6, 24, 1, protectores extra numerum a Juliano in Cappadocum sedes, *pleromos*, remissos fuisse; idque colligit e verbis scholiastæ cujusdam Juliani antecessoris : *Isti* (domestici in Cappadocia degentes, cf. p. 61, n. 8) *sunt qui dicuntur græce plerosimi, id est quia omnes in hac civitates complent, et hic complent sacramentum suum.*

(5) Exempli gratia vide legem a. 519, *Cod. just.*, 2, 7, 25, 3, ubi *schola domesticorum equitum scholæ domesticorum peditum* opponitur.

(6) *C. th.*, 6, 24, 1.

Ergo plures in utroque numero scholæ erant, in singulis scholis plus quam quinquageni viri (nam nonnulli deputati aberant) (1); neque libenter admiserim circa augusti latus centum modo custodes stetisse (2). Narrat Johannes Lydus (minime quidem fidus scriptor) protectorum numerum a Leone imperatore fuisse imminutum, quum circa se, more veterum, non plus quam trecentos acceperit. Num e tribus scholis, e centum quinquaginta præsentalibus uterque numerus constare solebat (3)?

In matriculis, qui græce κατάλογοι (4) vocabantur, inscribebantur protectores (5). His in actis accurate notabatur ad quæ negotia deputati essent, quo anno primum protexissent, quis *ordo militiæ* cujusque esset (6). Si quis minus quam duos annos e sedibus, non deputatus, aberat, quinto loco post ordinem suum in catalogo retro inscribebatur; si minus quam quatuor annos, decimo loco; si plus, ultimo : quod præcipuum in protectorum militia pœnæ genus erat. Tantummodo post quintum annum absentium no-

(1) Nota in scholis agentium in rebus ducenariorum quinquagenos circiter viros exstitisse tempore Leonis, *C. just.*, 12, 20, 3.

(2) In palatio tempore Justiniani morabantur quinque millia candidatorum, Procopius, *Anecdota*, 24, III, p. 136.

(3) *De magistratibus*, I, 16 : Τριακοσίους μόνους ἐστράτευσε. Addit Lydus : Κατὰ τὴν ἀρχαιότητα.

(4) Procopius, *Anecdota*, 24, p. 137, 19; cf. p. 64, n. 3.

(5) *C. th.*, 6, 4, 22.

(6) *C. th.*, 6, 24, 7.

men in matriculis oblitterabatur (1) : nempe non amplius quam quinque annos militare in palatio protectores solebant. Qui autem ita expulsi fuerant, si ante biennium ab imperatore ordini reddebantur, eum locum in matriculis recuperabant, non quem habuissent si protegere perseverassent, sed quem tum quum erasi fuerant habebant; si autem post biennium, eum locum obtinebant quem adepti essent si, altero bienni anno, ultimi fuissent (2).

Nulla igitur annorum quos in alio numero transegerit ratio protectori habetur : computabatur tamen honestam missionem exposcenti externæ militiæ tempus. At, in ordine, provehuntur secundum diem quo in eum sunt adsciti; non per arbitrium, favorem, gratiam, sed « per prolixitatem militiæ », ab ultimo ad primum gradum, prout quisque e numero egreditur, continuo incessu ascendunt (3).

Qui *decemprimi*, *secundicerius*, *primicerius* vocantur non protectoribus, non protectoribus domesticis, ut tribunus cohorti, centurio centuriæ, præsunt; cæteris eo antecellunt, quod primi in matriculis in-

(1) *C. just.*, 12, 17, 3.

(2) *C. th.*, 6, 24, 5.

(3) Quæ « prolixitas » ita a Procopio, de omnibus militiæ palatinæ generibus loquente (militantium scilicet in officiis scholisve), describitur, *Anecdota*, 24, III, p. 137 : Τάσσονται μὲν ἐν τοῖς καταλόγοις ἀρχὴν ἔσχατοι · προιόντος δὲ τοῦ χρόνου ἀναβαίνοντες ἀεὶ ἐς τῶν ἀπογινομένων ἢ ὑπεξιόντων τὴν χώραν τάζεως ἕκαστοι τῆς κατ' αὐτοὺς ἐς τόδε χωροῦσιν, ἕως ἄν τις βαθμοῦ ἐπιβεβηκὼς τοῦ πρώτου ἤδη ἐς τὸ τιμῆς ἀφίκηται πέρας.

scribuntur (1). Quemque protectorum illæ dignitates manent (2), nisi numerum prius egressus est, aut honesta missione accepta, aut ad regendos milites.

Quomodo in civium collegia, ita in scholam protectorum si quis introit, primoribus ordinis sportulam dono dat: si miles, non plus quam quindecim solidos, si clarissimus juvenis, non minus quam quinquaginta quinque solidos debet solvere (3). Videntur supernumerarii vel honorarii majoribus sportulis fuisse obnoxii : ab advocatis qui protegere digni æstimati erant, duo millia solidorum exigebantur (4). Utrum universis primoribus an singulis sportulæ illæ penderentur, dijudicari non potest.

Ad *decemprimatum*, prout quisque in matriculis inscriptus erat, promovebatur. « Recedentibus primoribus » succedebant sequentes (5). Decemprimi quoque eodem modo numerabantur : at non inter eos primicerius collocandus est (6).

Nova privilegia cum decemprimatu adipiscuntur protectores. Simul atque ad eum perveniunt, senatoriam accipiunt dignitatem (7). Neque tamen decemprimus

(1) Quod verba *secundicerius*, *primicerius* (primus, secundus in cera), significant.

(2) Vide Procopium hic, p. 64, n. 3.

(3) *C. th.*, 6, 24, 3.

(4) *C. just.*, 2, 7, 25.

(5) *C. th.*, 6, 24, 7; nisi prius honestam missionem depoposcerit. Nullus ex protectoribus in titulis memoratorum ad decemprimatum pervenit.

(6) Primicerio *decem sequentes* postponuntur, *C. th.*, 6, 24, 7.

(7) *C. th.*, 6, 24, 7. De militibus loquitur lex : at etiam juvenes clarissimos ad decemprimatum pervenire posse e Joviani exemplo colligendum est.

cæteris senatoribus par incedet : dignitate fruetur, effugiet munera. Non prætorio oneri, non glebali collationi obnoxius erit, sed inter *allectos* collocatus, « ad nullas præterea senatorii ordinis vocabitur expensas ». Cæteros contra officiales allectio inter clarissimos a prætura tantum, non a collatione glebali liberabat (1). Anno 416, novum insuper privilegium assequuntur decemprimi quum domesticorum tum protectorum : non jam allecti erunt inter clarissimos, sed *allecti inter clarissimos consulares* vel *ex consularibus* (2). Quo titulo quum pristina privilegia tum novum annonarum genus et evectiones conferebantur (3). Illud quoque animadvertamus, quum cæteri viri clarissimi, die quo promoverentur inter consulares, duos folles penderent (4), protectores contra, quemadmodum cæteros in palatio militantes, illa sportula immunes fuisse (5). Quo fiebat ut clarissimorum invidiam subirent decemprimi : quos ordo senatorius sæpe cogebat ad munerum partem capiendam, ita ut imperatores interdum contra patres custodum tueri suorum immunitatem deberent (6).

Inter decemprimos et primicerium stabat tempore

(1) *C. th.*, 6, 2, 14, ed. Hænel.

(2) *C. th.*, 6, 24, 8 et 9 : quæ leges a. 427 confirmantur, 6, 24, 10.

(3) Symmachus, *Epist.*, 7, 96, poscit ab imperatore pro Dynamio *ut beneficio allectionis utatur;* qui, si impetrabit etiam *hoc insigne quod annonarum et evectionum cumulet adjectio, prono cursu in consulares legetur.*

(4) *C. th.*, 6, 2, 8.

(5) *C. th.*, 6, 2, 8.

(6) *C. th.*, 6, 24, 11.

justinianeo *secundicerius*, qui, in annum unum electus, anno sequenti primicerius fiebat (1).

Primicerius est « protectorum (aut domesticorum) ordinis primus (2) », ad « suæ dignitatis terminum (3) » evectus. Primicerius domesticorum erat Jovianus, quum imperium accepit.

Nemo primiceriatum diutius quam annum unum exercebat (4). Anno exacto, primicerius succedenti decemprimo aut secundicerio locum relinquebat. Tum, ut tribunus, numero cuidam præficiebatur : ex primicerio tribunum factum esse Valentinum tradit Ammianus (5). Ita ab Hieronymo ordo describitur per quem tribunus retro cedat, ut rursus tiro fiat (6) : « Numquid ex tribuno statim fit tiro? non, sed ante *primicerius*, deinde *senator* (decemprimus), *ducenarius* (protector) ». Postea videntur etiam primiceriis tribunitiam dignitatem contulisse imperatores : tribuni sunt tanquam honorarii, neque simpliciter tribuni, sed etiam (quemadmodum scholarum palatinarum præpositi aut tribuni) (7), eodem loco ac viri spectabiles duces legionum incedebant (8). Ita etiam spectabilitate, nec jam tantum clarissimatu fruebantur.

(1) *C. just.*, 12, 17, 4 et 5.
(2) Amm. Marc., 25, 5, 4.
(3) Procopius, cf. p. 64, n. 3 : Ἐς τὸ τιμῆς πέρας.
(4) *C. just.*, 12, 17, 4 et 5.
(5) Amm. Marc., 18, 3, 5 : *Ex primicerio protectorum tribunus.*
(6) *Adv. Johannem hierosolymitanum*, 19, ed. Migne (*Opera*, II), p. 370.
(7) Lex a. 412, *C. th.*, 6, 13, 1.
(8) Lex a. 432, *C. th.*, 6, 24, 11.

De stipendiis quæ merebantur, vix credendus est Procopius. Si quis, ait, ad culmen suæ militiæ (id est ad primiceriatum), pervenit, decem millia aureos accipit (1). Addit « parentes et liberos sustinendi gratia » : quo fit ut primicerii stipendium eodem modo ac cæterorum protectorum heredibus suis transmittatur (2).

Tantum igitur honorem, tot commoda in se primiceriatus protectorum cumulabat, ut, Theodorico regnante, etiam viro cuidam illustri et patricio, ex consularibus, primiceriatus daretur, necnon Cassiodorus senatui gratularetur quod unus ex ordine tam optabilem dignitatem accepisset (3). Quod quidem vix credibile videatur, ni meminerimus tempore Theodorici pristinos militaris disciplinæ mores omnino immutatos et corruptos fuisse.

Cave ne primicerios decemprimosque protectoribus ut præpositos, duces, tribunosve præesse credas. Non protectorum manui præfecti, sed protectorii ordinis primates, primores, proceres erant (4). De decemprimis protectorum, ut de decemprimis curialium, loquendum est; de primicerio, ut de principe senatus. Jovianum Ammianus appellat modo simpliciter protectorem, modo domesticorum ordinis primum (5).

(1) *Anecdota*, 24, III, p. 138 : Ἐς ἑκατὸν χρυσοῦ κεντηνάρια. Circiter ter majora quam ducenarii stipendia accipit primicerius.

(2) *C. th.*, 6, 24, 11; cf. p. 46, n. 4.

(3) *Variæ*, 2, 15 et 16.

(4) *C. th.*, 6, 24, 3 et 7. Cf. principales in collegio quodam, Wilmanns, 2431 ; de decemprimis curialium, *C. th.*, 16, 2, 39.

(5) Cf. p. 17.

VII

DE COMITE DOMESTICORUM.

Ordinibus protectorum et domesticorum comites præerant, quos tituli, leges et scriptores semper *domesticorum comites* appellant. Sed et ipsi protectores comiti domesticorum erant obnoxii : nunquam enim protectorum comes memoratur, nisi quinto sæculo, quum *protector* idem ac *domesticus* significaret (1). Adde, quod lege anni 346 comes domesticorum jubetur de curialibus anquirere, quinam inter protectores sese insinuaverint (2). Quo tempore Notitiæ dignitatum partes quæ ad domesticos spectant vel scriptæ vel correctæ fuerunt, duo erant comites domesticorum (3), unus domesticorum equitum, alter

(1) Anonymi diptychon mediolanense : [*Vi*]*r illustr. com. protic. et consul ordinar.*, *C. i. l.*, V, 8120, 7; *protic.* propter litteram *i* byzantinam originem et quintum sextumve sæculum indicat. Turcius Apronianus, cons. a. 494, vocatur *ex comite dome t. protect.*, vide append. I *b*. Constantinus Porphyrogenitus, *De Cær.*, 1, 92, ad a. 491, memorat κόμητες προτηκτόρων καὶ δομεστίκων.

(2) *C. th.*, 12, 1, 38.

(3) Quum in oriente, 15, tum in occidente, 13.

peditum (1). Anno 451, duo *comites domesticorum* (sic simpliciter appellantur), Sporacius et Aetius, concilio chalcedonensi intersunt, uterque, ut videtur, ab orientis augusto Marciano missus (2), itemque Sporacius in lege Codicis justiniani vocatur *comes domesticorum peditum* (3). Anno 517, Flavius Anastasius in diptycho *comes domesticorum equitum* appellatur (4); at, haud multo post, anno 525, Philoxenus *comes domesticorum* omnium fuit (5). Interdum igitur duobus, at sæpius uni viro comitiva domesticorum mandabatur (6).

Viri clarissimi semper erant comites domesticorum : quem vero inter clarissimos gradum obtinebant? Anno 372 sic enumerantur *viri illustres* qui inter magistratus viros clarissimos primi incedebant : *Præfecti prætorio*, *præfectus urbi*, *magistri militiæ* (e quibus prior illustrium ordo, prior, ut aiebant, « quadriga » constabat); *magister officiorum*, *quæstor*, *comes sacrarum largitionum*, *comes rerum*

(1) Quum Zosimus, ad. a. 409, τὸν τῶν ἱππέων ἡγούμενον δομεστίκων memoret, 5, 47, quum, ad eumdem a., apud Sozomenum, 9, 8, Ataulphus vocetur ἡγεμὼν τῶν ἱππέων δομεστίκων καλουμένων, crediderim tamen eos non de comitibus domesticorum equitum (eo tempore omnes domestici equites erant), sed de comitibus domesticorum, scilicet equitum, loqui, oblitos etiam protectoribus comites præesse.

(2) *Acta concilii chalced. a.* 451, ap. Labbe, t. IV, p. 574.

(3) *C. j.*, 12, 17, 3, ed. Krueger.

(4) Meyer, p. 67. = *C. i. l.*, V, 8120, 2.

(5) Meyer, p. 74. = *C. i. l.*, V, 8120, 4.

(6) Chronographi byzantini de comitibus excubitorum inde a Justiniano loquuntur : quod nomen non publice comitibus domesticorum adhibitum fuisse, e titulis patet. *Cf.* append. I *a*.

privatarum (quos *quatuor comites consistorii* vocabant) (1). Ergo tunc illustratu modo fruebantur, qui publica munera exercebant; neque *vir illustris* comes domesticorum (sicuti præpositus cubiculi), sed *vir spectabilis* erat (2). Anno 384 *præpositum sacri cubiculi* ultimum inter illustres, tertio loco post consistorianos (3) reperimus, quum spectabiles adhuc remanere videntur comites custodum. In Notitia dignitatum (4) quatuor sunt virorum illustrium ordines : unus, in quo præfecti et magistri ; secundus in quo præpositi cubiculi tantum ; tertius, in quo comites consistoriani ; quartus, in quo domesticorum comites. Anno 412, comites domesticorum eumdem ac præpositi cubiculi gradum obtinent (5). Ita se paulatim ad majorem dignitatem erexerunt qui privatis imperatorum necessitatibus obsequebantur.

Ut scholæ quibus præerant, ita comites primum officium habebant, imperatorem protegere. Numeri disciplinæ consulere debebant : pleræque itaque leges de domesticis protectoribusque latæ comitibus mittuntur. Attendunt ne quis indignus, vel christianæ fidei hostis, ne quis otiosus in ordine moretur (6).

(1) *C. th.*, 6, 7, 1, II, p. 78.

(2) A. 342, *v. c.* appellantur, *C. th.*, 12, 1, 38.

(3) *C. th.*, 7, 8, 3.

(4) Quas igitur Notitiæ partes ante a. 412 necesse est referamus. Credidit Bœcking etiam tunc comites domesticos viros spectabiles fuisse, *Notitia orientis*, p. 263. Modo certum est omnes harum partium capitulos non omnino inter se congruere.

(5) *C. th.*, 11, 18.

(6) *C. th.*, 6, 24, 2. 3. 5; 16, 5, 42. Quod attinet ad comitum quemque, vide textus in appendice I relatos.

Augustum in palatio custodiunt, ad bella sequuntur. Non uni aciei interfuerunt : Constantio adstabat in alamannico bello comes Latinus (1); occisus Bacurius in aquileiensi prœlio, cujus virtute victoria Romanorum fuit (2); occisus et Pierius, Odoacri comes, in pugna cum Theodorico commissa (3). Augusti ad latus aut etiam in loco conciliis aderant (4) : quod minus publicum quam privatum negotium erat.

At sæpissime publicis quoque officiis præponebantur. Modo rei publicæ securitati provident : Barbatio cæsarem Gallum corripit (5) ; Saturninus res novas molientem Eudoxiam augustam trucidat (6). Modo fœderis jungendi, peragendæ legationis provinciam accipiunt : Anatolius ad Attilam a Theodosio (7), Theopompus ad Horsmidam papam ab Anastasio (8) mittitur.

Plerumque vero rebus militaribus comites domesticorum adhibentur : vexillationibus, legionibus præfecti aut seditionis reprimendæ causa (sic Serenianus Cyzicum profectus est ut custodiret urbem adversus Procopium tyrannum) (9), aut ad fines pro-

(1) Amm. Marc., 14, 10, 8.

(2) Socrates, *Hist. eccl.*, 1, 20; 5, 25; Rufus, *Hist. eccl.*, 2, 33; Zosimus, 4, 57.

(3) *Anon. vales.*, 11, 53.

(4) *Acta conc. ephes. a.* 431, Labbe, III, p. 442; *Acta conc. chalced. a.* 451, Labbe, IV, 574.

(5) Amm. Marc., 14, 11, 19.

(6) Marcellinus comes, *Chron.*, ad a. 444, p. 927, Migne (*Patr. lat.*, LI).

(7) *Excerpta de leg.*, p. 213, bonn. ed.

(8) Epistola Anastasii, Labbe, IV, pp. 1434 et 1436.

(9) Amm. Marc., 26, 8, 7, ad a. 365.

tegendos ab hostibus : Severus bello britannico a. 368 præponitur (1), Mellobaudes retico bello a. 378 (2); Richomeres in Gothos Valentem aggressos incessit (3); Francos debellavit Castinus a. 421 (4); maurici belli principatum profecto Belisario suscepit Theodorus (5).

Itaque nonnisi viris belli usu exercitatis comitiva domesticorum dabatur. Neque recte dictum est sub Justiniano hanc dignitatem ostensionalem fuisse ac domui augusti reservatam (6). Justinus quidem, fratris Justiniani nepos, dum adhuc adolescens erat (7), factus est domesticorum comes : jam vero illum singulari audacia et eximia fortitudine omnibus notum fuisse fatetur ipse Procopius (8). Quibus augusti comitivam domesticorum detulerunt, etiam post Justinianum, Tiberio, Mauricio, Crispo, nullis profecto fortioribus et felicioribus imperium romanum defensoribus usum est.

Quum Romani tum barbari custodibus præfecti

(1) Amm. Marc., 27, 8, 2.

(2) Amm. Marc., 31, 10, 6.

(3) Amm. Marc., 31, 7, 4.

(4) Gregorius turonensis, *Hist. Francorum*, 2, 62; *Hist. Franc. epitom. per Fredegarium*, 8, 550 (Migne, *Patr. lat.*, LXXI), pp. 206 et 578; cf. append. I *b*.

(5) Procopius, *De bello vandalico*, 2, 12, I, p. 460, ed. bonn.

(6) Meyer, *Zwei Elfenbeintafeln*, p. 19.

(7) Nempe admodum juvenem fuisse tradit eum Procopius, *De b. gothico*, 3, 32, II, p. 410, quum consulatum acceperit : quem induit jam comes domesticorum, cf. Meyer, tab. 1.

(8) *De bello gothico*, 3, 33, bonn. ed., II, p. 410 : Νεανίας μὲν καὶ πρῶτος ὑπηνήτης, δραστήριος δὲ καὶ ἐς τὰς πράξεις ὀξύτερος; cf. 3, 40; 4, 25.

fuere : etiam Francorum reges (1) domesticorum fuerunt comites, etiam Armeniorum reges (2) : neque iis unquam fideliores comites experti sunt augusti.

Nullus ex primiceriis domesticorum comes postea factus est. Plerumque ad comitivam duces comitesve provinciarum promoti sunt, exempli gratia : in occidente, Bonifacius, *comes Africæ* (3); in oriente, Diocletianus, *dux Mœsiæ* (4), Lucillianus, *dux Mesopotamiæ* (5); Serenianus, ut videtur, *dux Phœnices* (6); Bacurius, *dux Palæstinæ* (7); Philippicus, *comes Orientis* (8); Priscus, *dux Europæ* (9). Postponebatur rectura domesticorum magisterio militum : e comitibus domesticorum facti sunt *magistri peditum*, Barbatio (10), Richomeres (11); *magistri equitum* Mellobaudes (12), Valens (13), Vigilantius (14), Da-

(1) Mellobaudes, Amm. Marc., 31, 10, 6 : *Domesticorum comitem regemque Francorum, virum bellicosum et fortem;* de eo cf. 15, 5, 6. Ataulfus, Alarici frater, fuit comes domesticorum anno 409, Sozomenus, 9, 8.

(2) Bacurius, Rufus, *Hist. eccl.*, 2, 33; cf. Amm. Marc., 31, 12, 16; Socrates, *Hist. eccl.*, 1, 20; 5, 25; Zosimus, 4, 57.

(3) Augustinus, *Epist.*, 220; Procopius, *De bel. vand.*, 1, 3; cf. Lenain de Tillemont, V, p. 650; VI, p. 191.

(4) Zonaras, 12, 31.

(5) Zosime, 2, 45; 3, 14; Amm. Marc., 14, 11, 14.

(6) Amm. Marc., 14, 7, 7; 26, 5, 3; 26, 8, 7.

(7) Rufus, *Hist. eccl.*, 2, 33, et ex eo Socrates, 1, 20.

(8) Theophanes, *Chronogr.*, I, p. 403, ed. bonn.

(9) Theophanes, *Chronogr.*, I, p. 415.

(10) Amm. Marc., 16, 11, 2, ad a. 357.

(11) Vita Libanii, p. 67, ed. parisiensi, 1627.

(12) Philostorgus, 8, 1 (*Patr. gr.*, LXV), p. 555.

(13) Zosimus, 5, 48.

(14) Zosimus, 5, 48. Nisi legendum, ut in codicibus, ὕπαρχον.

galaifus (1); *magistri militum*, Castinus (2), Bonifacius (3), Addeus (4), Zeno (5), Mauricius (6); Lucillianus quidem, comes olim domesticorum, *comes Illyrici* erat anno 361 : sed ea tempestate is comes Illyrici vocabatur qui postea magister militum per Illyricum fuit (7).

Sæpe etiam fiebat ut utraque dignitate, magisterio et comitiva, unus vir ornaretur, quum, recturam domesticorum jam assecutus, militiæ quoque, non ut absentis magistri vicarius, vices agens, sed ut ipse itidem magister præficeretur. Sic primus et in palatio et in republica erat. Qui quinto sæculo imperii romani instaurator exstitit, quem comitem augustorum in prœliis et victoriis tituli prædicant, Stilicho (8), si-

(1) Amm. Marc., 26, 1, 6, ad a. 364.

(2) Idatius, ad a. 422, p. 878, Migne (*Patr. lat.*, LI).

(3) Prosperi, *Chronicon*, ad a. 432, p. 595, Migne (*Patr. lat.*, LI).

(4) Cf. n. 8.

(5) Theoph., *Chronogr.*, I, p. 175, ed. bonn.

(6) Theophylactus Simocatta, 3, 15, p. 147, ed. bonn.

(7) Amm. Marc., 21, 9, 5. Excipiendi sunt Philoxenus, qui, ut e diptychis tribus patet, comitivam domesticorum induit, dum erat (circa a. 525), *ex magistro per Thracias*, *C. i. l.*, V, 8120, 4; append. I *a.*; — et Turcius Apronianus (ante a. 494), cujus cursus honorum peculiaris et a more romano mire discrepat, append. I *b.*

(8) *C. i. l.*, VI, 1730, 1731. Adde Severum, comitem domesticorum a. 364 (*C. th.*, 6, 24, 2), a. 368 (Amm. Marc., 27, 8, 2), simul a. 367 magistrum peditum (Amm. Marc., 27, 6, 3); — Addeum, quem lex lata 31 dec. 393 vocat comitem domesticorum (*C. th.*, 6, 24, 5), leges latæ 12 janv. et 29 sept. 393, *Comitem et magistrum utriusque militiæ per orientem* (*C. j.*, 1, 26, 4, et *C. th.*, 16, 8, 9), lex a. 395, *comitem et magistrum*, etc; — Bacurium, quem Rufus, *Hist. eccl.*, 2, 33, comitem domesticum dicit, quique anno 394 in aquileiensi prœlio ut στρατηλάτης, magister militum, occisus est, Socrates, 1, 20; 5, 25; Zosimus, 4, 57; — Anatolium, comitem custo-

mul imperii exercitus et augustorum domesticos regebat.

Denique, ut revera quantum illa comitis domesticorum dignitas polleret judicemus, non omittendum est plures fortasse a comitiva quam a magisterio militum ad regnum transisse imperatores (1). A comite domesticorum incipiunt post severianam et antoninianam validissimæ et celeberrimæ augustorum domus, diocletiana (2) et justinianea (3) : Diocletianus, Justinus, Tiberius (4), recturam custodum cum regimine mundi commutaverunt.

dum in oriente, ut videtur, a. 449 (Priscus, *Exc.*, p. 213, 2; cf. app. I), quem scimus magistrum fuisse militum ab a. 420 ad a. 451 (*Annali dell' Instituto*, 1859, pp. 282 et 285).

(1) Notandum est Stilichonem, *C. i. l.*, VI, 1731, Aetium, Labbe, IV, p. 574, simul comites domesticorum et *comites stabuli* (sive *tribunos*, de quo titulo v. *C. th.*, 11, p. 98 A), fuisse.

(2) Vopiscus, *V. Numer.*, 13; Aur. Vict., *De Cæs.*, 39.

(3) A Justino thracio, Malala, 17, ed. bonn., p. 410.

(4) Theophylactus Simocatta, 3, 11, ed. bonn., p. 135 : Tiberium adhuc comitem excubitorum Justinus cæsarem renuntiavit.

VIII

SUB QUIBUS ARMIS, SUB QUA VESTE MILITARENT DOMESTICI PROTECTORESVE.

Breviter colligenda credidimus quæ de armis et de vestitu excubitorum per scriptores et monumenta (1) scire licet : de domesticis et protectoribus indiscrete loquemur, quum quæ esset peculiaris utriusque scholæ vestis discernere non possimus.

Gladio cincti erant, *hasta* (2) longa, inaurata (3)

(1) Monumentorum laterculum in quibus protectores ficti sunt vide in appendice II.

(2) Pilum poetice, sed parum recte dicit Corippus. In omnibus monumentis cum hasta protector exprimitur. Protectores appellantur a Synesio χρυσάσπιδες et χρυσεολόγχαι, *De regno*, 12, ed. Migne (*Patr. gr.*, LXVI), p. 1084; ipsi a Johanne Chrysostomo dicuntur ἀσπιδηφόροι et λογχοφόροι, *Hom. in Joh.*, 19 (18), 3, ed. Migne, (*Patrol. gr.*, LIX), p. 123. Vide Corippum, *In laud. Just. min.*, 3, 165 sqq., ed. Partsch :

Ingens excubitus divina palatia servat
Porticibus longis, porta condensus ab ipsa,
Murorum in morem lævam dextramque tegebat,
Scuta sub erectis conjungens aurea pilis
Ense latus cincti, præstricti crura cothurnis,
Exstantes latis humeris durisque lacertis.

(3) In clypeo Theodosii argenteo fascia, scilicet aurea, hastæ protectorum involvitur; cf. de simili fascia Clarac, n. 555, tab. 148.

aut clavis aureis ornata (1), armati. At *clypeo* præsertim insigniebantur custodes; ille munus quo fungebantur significabat (2) : illo armati augustum protegebant. Etsi clypeum protectorum aureum fuisse contendant Synesius et Corippus, hunc crediderim potius (nonnisi imperatoribus clypeis aureis auratisve uti licebat), æreum vel argenteum partim clavis aureis, partim gemmis confixum, gemmatum et inauratum. In protectorum Theodosii clypeis (3) imagines multiformes metallo incisæ fuisse videntur; notandum est, in clypeis custodum Justiniani (4) chrismum, in clypeo custodis nescio cujus augusti (5) crucem signatam fuisse. Quæ ornamenta valde illam ætatem decebant, qua magis atque magis se religionis defensores et Christi in terra vicarios profitebantur augusti (6).

Barbam ferunt protectores nullam : promissi, plerumque in gradus atque annulos nexi, crines (7). Quamvis illorum flavam comam Synesius miretur (8),

(1) Vide ravennates sancti Vitalis mosaicas.

(2) Cf. Synesium, Chrysostomum, Corippum, p. 75, n. 2. Ut hastas, ita clypeos in quoque monumentorum protectores habent.

(3) Clypeum argenteum matritensem vide.

(4) Mosaicas ravennates v.

(5) Diptychon monacense v.

(6) Cf. Cedrenum, II, p. 104, 23, ed. bonn.; vide nomisma Heraclii ap. Banduri, *Num.*, II, p. 676. Majoriani in clypeo chrismus fingitur, Cohen, VI, tab. 19, 1; Basilii consulis in sceptro non aquila, sed crux stat, Gori, *Thes. dipt.*, *nov.* tab. 20.

(7) V. præsertim matritensem clypeum et monacense diptychon.

(8) *De regno*, 18, ed. Migne, LXVI, p. 1084 : Νέοι πάντες (clarissimos modo juvenes alludit Synesius), πάντες εὐμήκεις τὰς κόμας, ξανθοί τε καὶ περιττοὶ,..

Ἀεὶ δὲ λιπαροὶ κεφαλὰς καὶ καλὰ πρόσωπα.

non tamen opinor modo inter milites juvenesque flava coma conspicuos delectos fuisse custodes. Mihi videntur *capillamentis*, flavicomis corymbiis (quæ tunc omnes magno cum studio e Gallia Germaniaque arcessebant) (1) uti protectores : qua de re vix dubitet qui protectores in antiquo vindobonensi codice expressos (2) attentis oculis consideret.

Tunicam (3) *brevem*, *manicatam* (id est quæ longas strictasque manicas habeat), induti sunt (4) : huic varia, sine dubio serica, *segmenta* assuta sunt, in quibus fila aurea purpureo serico ut opinor intexta modo scutulos, modo globulos aliasque formas et imagines imitabantur (5). Res est nota quam consummata fuerit illis temporibus ars sericum, præsertim in segmentorum ornamentis, intexendi (6).

Adde *torquem*, vel potius monile baccatum, inter cujus gemmas *bulla* pendet (7). In bulla, apud Justi-

(1) Tertullianus, *De cultu feminarum*, 2, 6, ed. Migne (*Patr. lat.*, II), p. 1322; cf. Suet., *V. Gaii*, 11; Petr., *Satyr.*, 110; Lampr., *V. Comm.*, 17; Cohen, III, pp. 48 et 414; Tertull., *De cultu*, 2, 7, p. 1323.

(2) Cf. append. II.

(3) Lydus, *De mag.*, 1, 12, describens protectorum vestem, de horum *saraca* loquitur. Σαράγης idem videtur esse ac σάραπις, quod tunicæ genus erat, cf. Hesychium, v° Σάραπις, ed. Schmidt, et Pollucem, 7, 61; cf. 7, 58 : Περσικὸς χιτών.

(4) Sub qua fortasse loricas, aut *thoraconactos*, de quibus cf. Du Cange, gestabant.

(5) Quæ segmenta Lydus γλόβας, *De mag.*, 1, 12, vocat. Vide segmenta protectorum Theodosii præsertim et Justiniani. De segmentis, lege Lydum, *De mag.*, 2, 4 et 13; cf. nunc Marquardt, *Das Privatleben der Römer* (1882), p. 531.

(6) Tertullianus, *De cultu feminarum*, passim; Ennodius, *Paneg. regis Theodorici*, p. 285, ed. Hartel (Vindobonæ, 1882).

(7) Omnia monumenta, præsertim matritensem clypeum vide.

niani protectores, nescio cujus animalis, fortasse draconis, caput exprimitur (1). Adde *fascias crurales* albas (2), et militares *campagos*, gemmis ornatos, colore nigros (3). *Cingulum* nunquam in monumentis apparet, nempe aut clypeo aut tunicæ fluentis sinu retectum; præcipuum militiæ, quum in protectorum, tum in cæteris numeris signum erat : qui e scholis expellebatur, cingulo spoliabatur (4).

De domesticorum comitis insignibus nihil compertum est. Illud modo e picturis in Notitia dignitatum expressis colligere est in ejus clypeo sculptas aut incisas imperatorum imagines fuisse (5). Quod ornamenti genus adhibere solebant, qui devotionem suam erga amicos, patronos, dominos aperte indicare gestiebant (6). Sic igitur comites domesticorum clientes, ut ita dicam, imperatorum, eorum voluntatibus addicti, iis dicatissimi significabantur (7).

(1) Ravennates v. mosaicas. De similibus figuris vide, in phaleris, *Monumenti dell' Instituto*, VI, tab. 41, 9; in legionum insignibus, *Not. dign. or.*, pp. 15 et 16, *occ.*, p. 117, ed. Seeck.; in bullis, Chabouillet, *Catalogue du Cabinet des médailles*, n. 2557.

(2) Clypeum et mosaicas vide; de fasciis, cf. *Dig.*, 34, 2, 25, 4; Lyd., 1, 17.

(3) Clypeum quoque necnon mosaicas vide; cf. de campagis Lydum, 1, 17; Saglio, in *Dictionnaire des antiquités*, v° *Campagus*.

(4) *C. just.*, 12, 17, 3; quum Julianus Valentem suum protectorem ad sacrificandum compellere tentabat (cf. p. 37), maluit Valens τὰς ζώνας τῆς στρατείας... ἀφιέναι, Socrates, 4, 1.

(5) Bœcking, p. 45 = Seeck, p. 39. Imagines non in insignibus comitum per occidentem apparent.

(6) Corippus, *In laud. Just. min.*, 3, 109.

(7) In Notitia dignitatum insignibus comitum domesticorum annumeratur tabula in qua « sacer vultus » pictus erat. Quæ in cubiculo

Quod si tantum auri argentique in arma et vestes protectorum congestum erat, tot gemmæ diffusæ, mirandum valde spectaculum, et a nostra ætate alienissimum, custodes sacri lateris oculis præbebant. Neque unquam scriptores antiqui non laudibus prosequuntur « comitatum imperatorium, armaque ejus, colorum micantia claritudine (1) ». Audi Corippum, cum solita admiratione de aulicis cæremoniis loquentem (2) :

Hinc armata manus dextram lævamque tuetur
Cæsarei lateris; clypeis pia terga tegebat
Ingens excubitus; protectorumque phalanges
Fulgebant rutilo pilis splendentibus auro.

comitis aut in cubiculi vestibulo super mensam posita erat ; de his tabulis Lydum, *De mag.*, 2, 17 : *Cod. th.*, 8, 11, 4; 13, 4, 4; 15, 4, 1, et Godefroy commentarium.

(1) Amm. Marc., 31, 10, 9. 14. Fulgor armorum nuntiat imperatorem, ait Synesius, quemadmodum radii solem, *De regno*, 12 : Οἷς ὅταν ποτὲ ὀφθῶσι, τὸν βασιλέα προσημαινόμεθα, καθάπερ, οἶμαι, ταῖς προανιχούσαις αὐγαῖς τὸν ἥλιον (*Patr. gr.*, LXVI, p. 1084).

(2) *In laud. Just. min.*, 4, 239 sqq.

IX

QUO TEMPORE PROTECTORES SUBLATI SINT.

Quo tempore protectores sublati sint, maxime incertum est. Frequenter, ætate justinianea, de custodibus augusti qui *excubitores* nominantur sermo est, quos eosdem esse ac domesticos et protectores, et revera non excubitores, sed protectores aut sæpius domesticos publice appellatos fuisse probant quum Procopii, hujus ætatis scriptoris, libri, tum leges (1), tum tituli (2) in consularibus comitum domesticorum diptychis inscripti. Theophanes igitur cæterique nono aut decimo sæculo degentes chronographi, quomodo Historiæ augustæ scriptores, non temporis de quo scribunt, sed ætatis suæ nomina et vocabula usurpant.

Permanserunt etiam post Justinianum domestici. At quo tempore chronographis, scholas excubitorum

(1) *C. just.*, 12, 17, 4 et 5.
(2) Cf. append. I *a*.

memorantibus, primum credendum est? Justino minore, qui Justiniano successit, regnante, de « protectorum phalangibus » bis apud Corippum aulicum poetam (1) sermo est. Itidem Menander historicus, cujus vita usque in Mauricii (2) regnum producenda est, protectores circa imperatores stare scribere (3) videtur.

Ergo primis septimi sæculi annis protectores aut domesticos in palatio adhuc militasse certum est.

Nihil ultra affirmare decet, tacentibus illius ætatis scriptoribus. Mihi tamen videntur, quamdiu custodibus præfecti *comites* appellati sunt, tamdiu augusti a domesticis fuisse protecti. Nam, qua ætate scribebant chronographi, custodibus præpositus non *comes* domesticorum vel excubitorum nominabatur, verum *domesticus excubitorum* (4). Atqui post Crispum anno 603 a Phoca dignitate comitiana ornatum (5), nullus comes excubitorum memoratur. Scimus quoque, inde ab Heraclio, quicumque in imperio aut in palatio vel publicis vel privatis muneribus fungebantur, honores quoslibet dignitatesve induebant, *domesticos* vocari : qui provincias regunt, *thematum domesticos*, qui exercitus, *magnos domesticos* (6) : quo titulo non reipublicæ, sed imperatori vices Dei in terra agenti

(1) Cf. p. 77, n. 2 et p. 81.
(2) *Exc. de legat.*, ed. bonn., p. 418.
(3) Inter a. 582 et 602.
(4) Theophanes, *Chronogr.*, I, p., 276, ed. bonn., ad a. 752.
(5) *Chron. Pasq.*, I, p. 703 ; cf. Theoph., *Chronogr.*, I, p. 491.
(6) Cf. *Chron. Pasq.*, ad a. 624, I, p. 714.

servire indicantur. Quam ob causam custodes imperatorum non jam sub Heraclio (1) domesticos, sed excubitores, item eorum præfectos, non comites, sed domesticos excubitorum appellari necesse fuit.

Centum post annos, regnante Constantino quarto Copronymo (741-775), circa augustum *excubitores*, sub dispositione *domestici excubitorum*, stabant, in duabus scholis, scilicet in ἀσπιδοφόροις et in δορυφόροις collecti (2). Decimo sæculo, imperante Constantino Porphyrogenito (911-959) duas quoque excubitorum scholas invenimus (3) : priores σκῆπτρα, posteriores σκεύη vocabantur, scilicet propter vexillorum aut armorum genus, quibus insigniebantur; in utraque plures numeri erant, inter quos, in posteriore schola, numerus προτικτόρων, numerus σινατόρων, et cæteri : decemprimos (quos Hieronymus senatores vocabat) (4), et protectores facile agnoscere est.

(1) Ergo inter annos 610 et 624. Qua de re tamen nihil plane certum posse dici fatemur.

(2) Nicephorus constantinopolitanus, ed. bonn., p. 83, 14.

(3) *De cærimoniis*, 1, 1, 5; 1, 38, 1; 1, 40; 1, 41, 3; 2, 15, etc.

(4) P. 67.

X

Illa igitur de protectoribus et domesticis concludere posse mihi videor :

I. Prioribus principatus sæculis, e custodibus lateris principum secernebantur cohortes prætoriæ, quæ « reipublicæ, non augusti » erant. Non e prætorianis originem ducunt protectores, neque ullo modo cum prætorianis juncti fuere.

II. Excubitores augusti, inde a tertio sæculo, protectores divini lateris, viri devotissimi, vocantur. E duobus numeris constant : protectorum domesticorum, sive equitum (quæ dignitas juvenes clarissimos præsertim manebat), et protectorum, sive peditum (in quo numero veterani tantummodo militabant). Illi propius imperatori aderant et ad majora negotia deputabantur. Postea omnes lateris custodes domestici quum equites, tum pedites, dicuntur : quo familiarius principi servire significentur.

III. Non ut militum numerus, sed ut ordo, collegium, civile consortium utraque manus constituitur.

IV. Nemo nisi comes præest excubitoribus, qui,

etsi vocetur comes domesticorum, utrique ordini præponitur. Hæc comitiva secundum in honorum militarium cursu locum obtinet, quamvis sæpius prima habeatur.

V. Ipsi protectores (at non olim equites singulares Germanique corporis custodes) locum in honorum cursu, et non aspernandum quidem, habent. Protectoris enim dignitas par primipilatui est : centurionibus ordinariis anteponitur protector, postponitur tribunis legionum.

VI. Quum olim ultima plerique milites stipendia ut primipili, prima juvenes clarissimi ut tribuni, in castris reipublicæ servientes, mererentur, nunc et milites et juvenes nobiles simul ut protectores circa imperatorem in palatio militant : protegere principem præcipua militia est.

VII. At, etsi custodes principis, ad publica quoque negotia deputantur protectores, quæ augusti secundum arbitrium tractent.

VIII. Quo tempore monarchia romana, sub Heraclio, in quoddam sacerdotium immutabatur, sublati sunt protectores. Quo tempore principatus in monarchiam gliscebat, regnante Gordiano, protectores creati sunt; ita ut illorum historia tota adhæreat uni et magnæ imperii romani ætati, cujus cum moribus ipsam illius militiæ naturam mire consentire perspicuum est.

APPENDICES

I

LATERCULUM COMITUM DOMESTICORUM :

a

Per orientem.

284] Diocletianus : Vop., *V. Num.*, 13; Aur. Victor, *De Cæs.*, 39, 7 : *Domesticos regens* ; Zonaras, 12, 31 : Κόμητα δομεστίχων. Cf. p. 74.

356] Barbatio : Amm. Marc., 14, 11, 19 : *Comes, qui.... domesticis præfuit.* Cf. p. 74, n. 10.

356] Lucillianus : Amm. Marc., 14, 11, 14 : *Domesticorum comes.* Barbatio et Lucillianus cæsaris Galli comites fuere. Cf. p. 74, n. 5, et p. 75, n. 7.

363] Varronianus : Zosimus, 3, 30 : Δομεστίχων ἡγουμένου τάγματος ; cf. Amm. Marc., 25, 5, 4.

365 et 366] Serenianus : Amm. Marc., 26, 5, 3 : *Domesticorum præfuit scholæ*; 26, 8, 7 : *Domesticorum tunc comes.* Cf. p. 72, et p. 74, n. 6.

393] Addeus : *C. th.*, 6, 24, 5 (31 dec. 393) : *Addeo com. domesticorum.* Cf. p. 75, n. 8.

394] Bacurius : Rufus, *Hist. eccles.*, 2, 33, ed. Migne : *Apud*

nos domesticorum comes. Cf. p. 72, n. 2, p. 74, n. 7, et p. 75, n. 8.

408] Paullinus : *Chron. Pasch.*, I, p. 575, ed. bonn. : Κόμητος δομεστίκων.

431] Candidianus : *Acta concilii ephesii a.* 431, ap. Labbe, III, p. 442 e : Κόμης δομεστίκων.

444] Saturninus : Marcellinus comes, *Chronicon*, ad a. 444, Migne, LI, p. 927 : *Comes domesticorum*. Cf. p. 72.

449] Anatolius : Priscus, *Exc. de leg.*, p. 213, 2, ed. bonn. : Τῶν ἀμφὶ βασιλέα ἄρχοντα, quæ verba in *præsentalium militum* ducem difficillime traducas. Cf. p. 72 et p. 75, n. 8.

451] Sporacius : *Acta concilii chalcedonensis* 25 *oct.* 451 : *Viro magnificentissimo comite domesticorum*; *C. just.*, 12, 17, 3, ed. Krueger : *Comiti domesticorum peditum*. Cf. p. 70.

451] Aetius : *Acta concilii chalc.*, Labbe, IV, p. 575 : *Viro magnificentissimo comite domesticorum et sacrorum stabulorum*. Cf. p. 70 et p. 76, n. 1.

468] Zeno : *Acta sanctorum*, Junii, 11, III, p. 442 A : *Excubitorum comes*; cf. Theophanem, *Chronographia*, I, p. 175, 9, bonn. ed.; Lenain de Tillemont, VI, p. 64 et seq. Cf. p. 75.

516] Theopompus : Epistolæ Anastasii imperatoris ad Hormisdam papam, ap. Labbe, IV, 1434 : *Virum illustrem comitem domesticorum*. Cf. p. 72.

517] Anastasius : Diptychon veronense ap. Meyer, *Zwei antiken Elfenbeintafeln*, Monaci, 1879, in-4°, p. 57 = *C. i. l.*, V, 8120, 2 : FL. ANASTASIVS PAVLVS PROBVS SABINIAN. POMPEIVS ANASTASIVS VIR INL. COM. DOMESTIC. EQVIT. ET CONS. ORD. Cf. p. 70.

518] Justinus major : Malala, 17, ed. bonn., p. 410 : Κόμης ἐξκουβιτόρων; Anon. valesianus, 13, 76 : *Qui comes erat excubitorum*; Procop., *Anecdota*, 6, III, p. 44 : Ἄρχοντα... τῶν ἐν παλατίῳ φυλάκων; Constantinus Porph., *De cærim.*, 1, 93.

525] Philoxenus : Diptycha tria, Meyer, p. 59 et p. 74 = *C.*

i. l., V, 8120, 4 : FL. THEODO. FILOXENUS SOTERICUS FILOXENUS VIR ILL. COM. DOM. EX MAGISTR. PER THRACIA. ET CONSUL ORDIN.

Inter a. 527 et 565] Eulalius : Malala, 18, ed. bonn., p. 439, 8 : Κόμης δομεστίκων.

Inter a. 527 et 565] Vigilantius : *C. just.*, 12, 17, 4 : *Comiti domesticorum.*

Inter a 527 et 541] Basilius : Diptychon florentinum, Meyer, p. 74 : ANIC. FAVST. ALBIN. BASILIVS V. C. ET INL. EXC. DOM. PAT. CONS. ORD.

536 et 537] Theodorus : Procop., *Vandal.*, 2, 12, ed. bonn., I, p. 460 : Ὃς τῶν ἐξκουβιτώρων ἡγεῖτο; 2, 14, I, p. 474. Cf. p. 73.

539] Strategius Apion : Diptychon oviedense, *C. i. l.*, II, 2699 : FL. STRATEGIVS APION STRATEGIVS APION V. INL. COM. DEVV. DOMM. ET CONS. OR. Cf. p. 19, n. 3.

540] Justinus minor : Diptychon berolinense, Meyer, tab. 1 et p. 60 : FL. MAR. PETR. THEODOR. VALENT. RVST. BORAID. GERM. IVST. VS. NL. C. DOM. ET CONS. ORD. Cf. p. 73.

540 aut 541] Marcellus : Proc., *Goth.*, 3, 33, bonn., II, p. 412, 5 : Ὃς τῶν ἐν παλατίῳ φυλάκων ἦρχεν. De anno cf. p. 410 et p. 424, 20.

573 et 574] Tiberius : Theophanes, *Chronographia*, I, p. 380, 18 : Τὸν κόμητα τῶν ἐξκουβιτόρων; Theophylactus Simocatta, 3, 11, p. 136 : Ἡγεμὼν δ' οὗτος ἐτύγχανε ὢν (quum a Justino cæsar factus est) τῶν τοῦ βασιλέως σωματοφυλάκων καὶ ὑπασπιστῶν, ὃν κόμητα ἐξκουβιτώρων τῇ συνήθει φωνῇ ἔθος Ῥωμαίοις καλεῖν.

578] Mauricius : Theophylactus, 3, 15 : Τῶν σωματοφυλάκων τοῦ βασιλέως ἡγούμενον; cf. falsum casinense diploma, quo *comes excubitorum* vocatur, in Procopii edit. bonnensi, III, p. 44 sqq. Cf. p. 75.

603] Philippicus : *Chron. pasch.*, I, p. 695 : Κόμης ἐξκουβιτόρων. Fuit anno 587 *comes Orientis*, p. 74, n. 8.

603] Crispus : Theophanes, *Chronogr.*, I, p. 415, 5 : Hunc, ut ducem Europæ Thraciarum exercitibus præeuntem, creavit Phocas loco Philippici κόμητα ἐξκουβιτόρων. Crispum Heraclius jussit tonderi a. 612, *Chron. pasch.*, I, p. 703.

b

Per occidentem.

354] Latinus : Amm. Marc., 14, 10, 18 : *Domesticorum comitem.*

360] Excubitor : Amm. Marc., 20, 4, 21 : *Domesticorum comes Excubitor nomine.* Sic omnes codices.

361] Dagalaifus : Amm. Marc., 21, 8, 1 : *Dagalaifum* (Julianus) *præfecit domesticis.* Excubitor et Dagalaifus cæsaris Juliani, Latinus Constantii domesticorum comites fuerunt.

364-368] Severus : Videtur Severus aut per quatuor annos continuos aut annis 364 et 368 comitivam domesticorum habuisse : *C. th.*, 6, 24, 2 (364) : *Severo com. domesticorum;* Amm., 27, 8, 2 : *Etiamtum* (368) *domesticorum comitem.* Cf. p. 72, et p. 75, n. 8.

377 et 378] Richomeres : Amm. Marc., 31, 7, 4 : *Domesticorum tunc comes;* 31, 12, 4 : *Comitem domesticorum.* Cf. p. 74, n. 11.

378] Mellobaudes : Amm. Marc., 31, 10, 6 : *Domesticorum comitem.* Hunc crederem Richomeris in locum successisse. Cf. p. 72, p. 73, n. 2, et p. 74, n. 1 et 12.

Inter a. 378 et a. 384?] Flavianus? : Cui Symmachus Valentinum protectorem, cf. p. 30, commendat, *Epist.*, 2, 74, ed. Migne, XII, p. 196. Difficillimum est credere nonnisi a comitibus domesticorum diplomata protectoribus fuisse concessa. Neque tamen infitias eo quin Flavianus, inter Symmachi amicos notissimus, nec non cæteri contempo-

ranei Nicomachi Flaviani (de quibus v. *C. th.*, *Prosopographia*, p. 54. et *C. i. l.*, VI, p. 401), nullam militarem comitivam induerint.

Inter a. 392 et a. 393] Arbetius? Titulus rhenanus, Brambach, *C. i. rh.*, 360, Theodosio, Arcadio, Eugenioque augustis dicatus, comitem domesticorum quemdam, cujus nomen erasum est, memorat : legit nescio quis vir doctus in *Giornale de' letterati di Roma*, 1744, p. 315, *Arbetius*. Vide Brambach.

395-408] Stilicho : Vocatur comes domesticorum in titulis urbanis, a. 398, *C. i. l.*, VI, 1730, et inter a. 405 et 408, *C. i. l.*, VI, 1731, positis. Comitivam inde a. 395 forsitan habuit, quo Theodosius filiis eum reliquit στρατηγόν ...καὶ ἐπίτροπον, Zosimus, 4, 59. Cf. p. 75, n. 8 et p. 76, n. 1.

408] Salvius : Zos., 5, 32 : Ὁ ... τῶν δομεστίκων τάγματος προεστώς. Occisus paulo ante d. 23 aug.

408] Vigilantius : Zos., 5, 36 : Hunc Honorius τῇ τῶν δομεστίκων ἴλῃ præfecit, mensi, ut videtur, sept. Cf. p. 74, n. 14.

408] Valens : *C. th.*, 16, 5, 42 : *Com. domesticorum;* lex 14 d. nov. lata. Cf. p. 74, n. 13.

409] Hellebichus : Zos., 5, 47 : Εἰς τοῦτο (m. april.) τὸν τῶν ἱππέων ἡγούμενον δομεστίκων, id est domesticorum, qui equites erant. At, ut vidimus, comes domesticorum omnibus custodibus præerat. Cf. p. 70, n. 1.

409] Ataulfus : Sozomenus, 9, 8 : Ἡγεμὼν τῶν ἱππέων, δομεστίκων καλουμένων. De Ataulfo (qui Attali augusti fuit comes), idem ac de Hellebicho dicendum est : errat, ut Zosimus, ita Sozomenus, quum Ataulfum modo domesticis, id est equitibus, præfectum fuisse credit.

414] Maurianus : *C. th.*, 15, 11, 1 : *Comiti domesticorum et vices agenti magistri militum.*

421] Castinus : Frigeridus ap. Gregorium turonensem, Migne, LXXI, 206 : *Domesticorum comes*. De anno quo domesticis præfuit, cf. Tillemont, VI, 821. Cf. p. 73 et p. 75, n. 2.

427] Bonifacius : Augustinus, *Ep.*, 220 : *Bonifacio domesti-*

corum et Africæ comite; cf. Tillemont, VI, 191, qui Bonifacio comitivam datam a. 426 credit, nec non recte.

432] Sebastianus? : Bonifacio mortuo Sebastianus genere substitutus est, cf. Idatii *Chronicon*, Migne, LI, p. 880.

Int. a. 433 et 444] Venantius Severus : *C. i. l.*, VI, 1796, 30: *Ven*ANTIVS SEVERV*s come*S DOMEST. ‖ *glabr*IO VENANTIVS FAV*stus* EX PREFECTO VRB. De præfecturæ glabrianæ anno vide Henzen, *Bullettino dell' Instituto*, 1849, p. 340.

473] Glycerius? : Legitur in Ægidii Bucherii *Belgium romanum* (ad a. 478), 18, 8, p. 550 : *Glycerius domesticus seu domesticorum comes;* quod unde ceperit nescio.

490] Pierius : *Anon. vales.*, 11, 53 : *Comes domesticorum.* Hunc a. 489 acta Severini (*Acta sanct.*, januarii, 8, I, p. 496), comitem appellant.

Ante a. 494] Asterius : Legitur in subscriptione codicis florentini Virgilii : *Turcius Rufus Apronianus Asterius, v. c. et inl., ex comite domest. protect., ex com. priv. largit., ex præf. urbi, patricius et consul ordin.* (494), ap. Jahn, *Ueber die Subscriptionen in den Handschriften römischer Classiker* (*Berichte der k. sächs. Gesells.*, 1851), p. 348.

Int. a. 489 et 526] Va.... : *C. i. l.*, VI, 1794 : THEODORICO VA.... EX COM. DOMEST.

Int. a. 489 et 526] Mavortius : Legitur in calce libri epodorum, in Horatii codicibus : *Vettius Agorius Basilius Mavortius, v. c. et inl., ex com. dom., ex cons. ord.* (527), *legi*, etc., Orelli, 3188 = Jahn, pp. 353, 354.

Inter a. 526 et 534] Arator : Vide subscriptionem codicis remensis ap. Ennodii edit. Migne, *Patr. lat.*, LXIII, p. 149, in n., ubi vocatur *Vir inl.*, *ex comite domesticorum*, *ex comite privatarum.* Huic comitiva domesticorum ab Athalarico data est, Cassiodorus, *Variæ*, 8, 12. Cursus honorum quum Aratoris tum Asterii a regulis quas etiam ultimi augusti retinuerunt dissentiunt. At illas scimus sub Gothis persæpe fuisse neglectas, cf. p. 68.

c

Comites domesticorum anni necnon imperatoris incerti :

ANASTASIUS : Titulus urbanus, *C. i. l.*, VI, 1796, 32 : EX COM. D. ATQ. PATR...IO ANASTASIVS V. C. ET INL. EX C. DOM. PAT. Certe non prius quam quinto sæculo vixit.

C. i. l., V, 8120, 7 : Legitur in folio diptychi mediolanensis, in museo Trivulzi asservato : *Vi*R ILLVSTR. COM. PROTIC. ET CONSVL ORDINAR. Cf. p. 69, n. 1.

Meyer, *Zwei Elfenbeintafeln*, p. 61, 33 : Legitur in folio diptychi, Romæ in palatii Barberini bibliotheca exstante : V. C. ET INL. EX C. D. CONS. ORD.

d

Falso comites domesticorum appellantur :

253] L. VIRIUS PAULLINUS : Tillemont, III, p. 292 ; Corsini, *Series præfectorum*, p. 134, e titulo ligoriano, Gruter, 273, 7. Titulus forsan propter Paullinum, comitem domesticorum per orientem a. 408, effictus est.

363] JOVIANUS : Malala, *Chronicon*, 14 : Κόμητος τῶν δομεστίκων. Primicerius modo domesticorum erat, Amm. Marc., 25, 5, 4.

395] EUGENIUS : Tillemont, V, p. 345. In titulo, quem parum recte legebat, dicitur Eugenius comes ordinis primi, *C. i. l.*, VI, 1721.

II

LATERCULUM MONUMENTORUM IN QUIBUS PROTECTORES EXPRIMUNTUR.

I. *Stela* Nicomediæ anno 1861 a viro clarissimo G. Perrot reperta. In parte inferiore titulus Claudii Herculani, *Aureliani* augusti protectoris, legitur; in parte superiore Claudius insculptus fuit, equo sedens. Ars monumenti admodum rudis. Hoc impressum vide ap. Perrot, *Exploration archéologique de la Bithynie et de la Galatie*, I, p. 7; de titulo, cf. *C. i. l.*, III, 327, et hic, p. 18, n. 4.

II. In *vitreo fragmento*, ubi vicennalia *Diocletiani* repræsentari videntur, exprimitur protector seniori augusto adstans, de cujus tamen armis et vestimento propter fractum monumentum nihil cernere licet. Vide effigiem, lege dissertationem v. c. Ludovici Bruzza, in *Bullettino della commissione archeologica municipale*, Roma, in-8°, 1882, et in *Bulletin épigraphique de la Gaule*, Viennæ, in-8°, 1883.

III. Argenteus *votivus clypeus* anno 1847 haud procul Emerita Augusta (*Merida*) repertus. In eo sculptus *Theodosius* vota solennia, propter decennalia (393), ut videtur, Arcadii, a viro quodam illustri accipit : dextra Arcadium, sinistra Honorium habet, quos circa bini protectores domesticive stant. In parte clypei inferiore Hispania repræsentatur; in margine superiore legitur : *D. n. Theodosio ob diem felicissimum* X. Clypeus nunc in matritensi Regiæ academiæ histo-

ricæ museo asservatur. De eo cf. præsertim Delgado, *Memorio histórico-critica sobre el gran disco di Theodosio*, Matr., 1849, in-4°, cui ære incisus clypeus annectitur; Huebner, *Antike Bildwerke in Madrid*, p. 215, qui annum 388 monumento assignat.

IV. *Basis* historiatæ a *filiis Theodosii* prioris patri dedicatæ columnæ, nunc adhuc, ut videtur, Constantinopoli servata. Theodosius stat in cæsareo pulvinare circi, protectoribus circumdatus. Cf. D'Agincourt, *Histoire de l'art* (*sculpture*), tab. 10 et, textus causa, II, p. 42.

V. *Picturæ* græci manuscripti Geneseos, in cæsarea vindobonensi bibliotheca servati; quas sæculo quinto posteriores non esse jure creditur; cf. Labarte, *Histoire des arts industriels*, II, p. 161 (ed. 2a). Custodes Abimelech (cap. 21, vv. 6-17), Pharaonis (41, 21-27; iterum, 41, 27-32), similes his quos ante oculos habebat protectoribus artifex pinxit. Vide picturas delineatas ap. Garrucci, *Storia dell' arte cristiana*, tabulæ 115, 4; 120, 3; 120, 4.

VI. *Diptychon* consulis anonymi (at certe filiis nepotibusve *Theodosii* contemporanei), in capituli halberstadtensis thesauro servatum: duo imperatores in solio uno sedent; pone, stant duo protectores. Cf. *Neue Mittheilungen des thüringisch-sächsischen Vereins*, I (1844), tab. 7, n. 2; et *Mittheil. der k. k. Central-Commission*, Vindobonæ, 1870, in-4°, pp. 22 et 44.

VII. *Eburnea tabula* manuscriptum bibliothecæ regiæ monacensis protegens. Sinistra apparitor et Victoria cernuntur, dextra consularis vir, codicem manu sustinens, pone quem stat protector. Quam tabulam, scilicet diptychi folium, non, ut v. c. Meyer, quarto sæculo sculptam crediderim, utpote quæ inficetissime facta sit. Cf. Meyer, *Zwei ant. Elfenbeintafeln*, tab. 3 et p. 64.

VIII. *Mosaicæ* absidis in ravennate ecclesia sancto Vitali

dicata. Quatuor protectores *Justinianum* templum a. 547 una cum sancto Maximiano dedicantem sequuntur. Quarum plurimæ vel coloratæ effigies exstant; cf. opera memorata a Marquardt, *Das Privatleben der Römer*, 1882, p. 533, n. 2. Vide imprimis *photographias* a Ricci ravennate editas.

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. III non. mart. ann. MDCCCLXXXIII, Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

ERRATA

P. 10, *l.* 16 :	*lege, non*	Processianus,	*sed*	Processanus;
P. 19, *n.* 3 :	—	Apio,	—	Apion;
P. 21, *l.* 10 :	—	Apio,	—	Apion;
P. 22, *l.* 14 :	—	Porphyrogenetæ,	—	Porphyrogeniti.
P. 47, *l.* 20 :	—	semel,	—	simul.

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28

CAGNAT (René). **De municipalibus et provincialibus militiis in imperio romano.** In-8. 3 50

— **Etude historique sur les impôts indirects chez les Romains jusqu'aux invasions des barbares**, d'après les documents littéraires et épigraphiques. 1 vol. gr. in-8, avec 5 cartes coloriées. 10 »

Ouvrage couronné par l'Académie des inscriptions et belles-lettres.

— **Explorations épigraphiques et archéologiques en Tunisie.** *Premier fascicule*, 1883. Grand in-8, avec 11 belles planches en héliogravure. 7 50

CONS (Henri), *professeur à la Faculté des lettres de Montpellier.* — **La province romaine de Dalmatie.** 1882. 1 vol. in-8 avec une carte. 7 50

COURAUD (Am.), *doyen de la Faculté de droit de Bordeaux.* — **De l'épigraphie juridique.** 1878. Brochure gr. in-8. 2 »

CUQ (Edouard). — **Etudes d'épigraphie juridique.** De quelques inscriptions relatives à l'administration de Dioclétien. — I. *L'examinator per Italiam.* — II. *Le Magister sacrarum cognitionum.* 1881. Gr. in-8. 5 »

DENIS (J.), *professeur de littérature ancienne à la Faculté des lettres de Caen.* — **Histoire des théories et des idées morales dans l'antiquité.** *Deuxième édition.* 1879, 2 vol. in-8. 10 »

Ouvrage couronné par l'Institut de France (Académie des sciences morales et politiques).

GUIRAUD (Paul), *professeur à la Faculté des lettres de Toulouse.* — **De la réforme des comices centuriates au IIIe siècle avant J.-C.** Broch. gr. in-8. 1 50

KELLER (F.-L. de). — **De la procédure civile et des actions chez les Romains** ; traduit de l'allemand et précédé d'une introduction par M. Charles Capmas, *recteur honoraire de l'Académie de Toulouse.* 1 beau vol. in-8. 9 »

LABATUT (Edmond). — **Histoire de la préture.** Sources du droit, attributions, procès civils et criminels, administration des provinces, l'Edit. 1 vol. gr. in-8 cavalier. 7 »

MARX (Edgard). — **Essai sur les pouvoirs du gouverneur de province** sous la République romaine et jusqu'à Dioclétien. 1880. Gr. in-8. 3 50

MÉLANGES d'érudition classique. Hommage à la mémoire de Charles Graux. 1 beau vol. in-8 jésus, avec portrait et planches en héliogravure. 45 »

Tiré à petit nombre.

NAUDET, *membre de l'Institut.* — **De la noblesse et des récompenses d'honneur chez les Romains.** 1 vol. in-8. 4 »

PERSON (E.). — **Essai sur l'administration des provinces romaines sous la République.** 1 beau vol. gr. in-8. 8 »

PETIT DE JULLEVILLE (L.), *maître de conférences à l'Ecole normale supérieure, professeur suppléant à la Sorbonne.* — **Histoire de la Grèce sous la domination romaine.** *Deuxième édition*, revue et augmentée. 1879. 1 vol. in-18 jésus. 3 50

Ouvrage couronné par l'Académie française et par l'Association pour l'encouragement des études grecques en France.

VIGIÉ, *doyen de la Faculté de droit de Montpellier.* — **Etudes sur les impôts indirects chez les Romains** (I. *Vicesima libertatis.* — II. *Vicesima hereditatis*). 1881. Gr. in-8. 2 50